MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80274-29

*AUTHOR:*

HEERINGA, DIDERICUS

*TITLE:*

QUAESTIONES AD CICERONIS DE...

*PLACE:*

GRONINGAE

*DATE:*

1906

Master Negative #

91-80274-29

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87C0
DZ6

Heeringa, Didericus,
Quaestiones ad Ciceronis De divinatione libros duos pertinentes; specimen litterarium inaugurale, quod... submittet Didericus Heeringa... Groningae, apud J.B.Wolters, 1906.
79 p. 28½ cm.

Thesis, Groningen, 1906.

VOLUME OF PAMPHLETS

142103

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm  REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-2-91  INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

# IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)

150mm

6″

# DISSERTATIO

# INAUGURALIS

1906

D. HEERINGA.

GRONINGAE APUD J. B. WOLTERS, ANNO MCMVI.

PARENTIBUS SPONSAEQUE CARISSIMIS

# QUAESTIONES AD CICERONIS DE DIVINATIONE LIBROS DUOS PERTINENTES.

**SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE**, QUOD EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI **PETRI PET,** IN FACULTATE IURIDICA PROF. ORD., AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO PRO GRADU DOCTORIS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN ACADEMIA GRONINGANA RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO AC SOLLEMNI FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

DIDERICUS HEERINGA,
TERNAARDENSIS.

DIE XXVI MENSIS SEPTEMBRIS ANNO MCMVI HORA III.

GRONINGAE APUD J. B. WOLTERS, ANNO MCMVI.

Typis J. B. WOLTERS.

# INDEX.

*Dissertationem inauguralem in lucem emissurus omnibus professoribus quorum collegiis interfui gratias ago maximas.*

*Imprimis tibi, clarissime* VAN WAGENINGEN, *promotor aestimatissime, permultum me debere ingenue fateor, atque insignem tuam erga me benevolentiam in hoc libello componendo semper grato recordabor animo.*

## PRAEFATIO.

Etsi iam multi viri docti de fontibus, quibus Cicero in libris duobus de divinatione conscribendis usus esse videtur, scripserunt, tamen non inutile opus me confecturum puto, si eandem rem rursus tractem, praesertim cum quaestio inter illos nondum convenerit, neque res ad finem iam perducta atque absoluta sit. Itaque primum disseram de virorum doctorum sententiis et quae illi de fontibus totius operis Ciceronis vel partis eius senserint, breviter persequar (quarum sententiarum gravissimae sunt Schichi, Hartfelderi, Hoyeri); deinde ipse meam de fontibus sententiam afferam; tum nonnullas annotationes criticas et exegeticas ad libros de divinatione pertinentes additurus sum.

## CAPUT PRIMUM.

### Quae viri docti de fontibus senserint, quibus Cicero in libris de divinatione usus esse videtur.

§ 1. Drumannus[1]) coniecit Ciceronem, qua festinatione opera sua conscripserit, procul dubio Graecum exemplar adhibuisse, in quo Cleanthis Chrysippi Panaeti Posidoni aliorumque Stoicorum de divinatione placita coniuncta essent. Ea Ciceronem refutasse èt Carneadis Academici armis fretum èt Panaetio Stoico confisum, qui ipse iam divinationis fidem debilitasset. Cum tamen Drumannus nullum argumentum, nullum locum, quo sententiam suam probet, attulerit, eius coniectura nobis viam monstrare forsitan possit, qua verum sit investigandum, sed profecto hac ratione nihil proficimus ad ipsam rem solvendam.

§ 2. Wachsmuthius[2]) Ciceronem e libro Diogenis Babylonii, Chrysippi discipuli, qui *περὶ μαντικῆς* inscribitur[3]), de div. I § 82, II §§ 41, 90, 101, e libris autem quinque Posidoni de div. I §§ 64,

---

1) Historia Romana VI, p. 351 (a° 1844).
2) Die Ansichten der Stoïker über Mantik und Daemonen, p. 14, 15 (a° 1860).
3) Cic. de div. I, § 6.

125, 130, II § 35 hausisse contendit. Etsi in hac opinione illud placet quod loci afferuntur, tamen ea non nititur satis firmo fundamento. Non enim constat, si nomen philosophi cuiusdam a Cicerone laudatur, etiam librum aliquem eiusdem eum inspexisse, ut Wachsmuthius existimare videtur. Transeamus igitur ad aliam coniecturam.

§ 3. Meltzerus[1]) de div. 1 c. 26 Caelio deberi et Fabii Gelliique nomina Ciceronem iam apud Caelium legisse putat. Cui opinioni obstat, quod Cicero de div. I § 43 fabulam Aeneae somnii ex Fabii Pictoris Graecis annalibus sumpsisse se confitetur, quare admodum dubium est, num Fabii nomen[2]) e Caelio fluxerit. Quod autem vir doctus dicit[3]) praeter Caelium Ciceronem nullum rerum scriptorem Latinum contulisse, sed ea exempla ex historia memoriter protulisse, quae omnes Romani liberalibus artibus eruditi aut augures scirent (non enim re vera scriptorem aliquem adhibitum esse apparere e verbis I § 31 *quis veterum scriptorum non loquitur*, ibid. *ut scriptum videmus*, § 33 *negemus omnia, comburamus annales*, § 51 *quod exstat in annalibus*, § 100 *quod in annalibus habemus;* § 101 *atque etiam scriptum a multis est*), id partim verum esse concedo, sed Meltzerus non animadvertit de div. 1 § 72 *ut in Sullae historia videmus quod te* (i. e. *Marco Tullio*) *inspectante factum est* nomen Sullae afferri in re quam ipse Marcus vidit, nec rationem dedit, cur I § 99 Sisennae nomen a Cicerone laudetur. Itaque alia via ingredienda est ad fontes cum Romanos tum Graecos investigandos.

§ 4. Schichius[4]) Posidonium in libro primo fontem esse opinatur, nec non Clitomachum, Cratippum, Panaetium, ita quidem ut Clitomachus in §§ 56*b*, 57[5]), 72, 74, 75, 76[6]), 78*b*[7]), Cratippus in §§ 70, 71[8]), 113[9]), Panaetius in §§ 82, 83[10]) a Cicerone adhibiti sint, cetera vero philosophorum placita Posidonio[11]) debeantur, multaque exempla ex eodem philosopho Stoico Ciceronem hausisse censet, sed exempla Romana aspersisse ex epitoma Caelianorum a

1) Fleckeis. Jarhb. CV, p. 429—432 (a° 1872).
2) I c. 26.
3) p. 431.
4) De fontibus librorum Ciceronis qui sunt de divinatione (a° 1875).
5) p. 19, 21, 36, 42.
6) p. 21, 36.
7) p. 36.
8) p. 20, 24.
9) p. 24.
10) p. 22, 23.
11) passim.



Bruto[1]) composita atque ex poetis Romanis, Plauto et Ennio[2]). Praeterea Philisti Historiarum librum primum Tullio exempla de Dionysio tyranno in §§ 37, 39, 73[3]) suppeditasse existimat. Ciceronem librum primum in quinque partes idcirco divisisse arbitratur, quod ei praesto essent Posidonii περὶ μαντικῆς libri quinque, quibus eodem modo de eodem argumento ageretur.

In libro secundo auctore Schichio fons primarius Clitomachus[4]) fuit, Panaetius tamen in §§ 87*b*—97*b* et in §§ 100—106[5]); exempla autem Romana memoriter protulit Cicero, qui haruspicinae Etruscae notitiam habuit a Caecina Volaterrano[6]), a quo ineptam illam de Tage fabulam (de div. II c. 23) mutuatus est.

Non intellego, quid Schichium moverit, ut Cratippi rationem de somniis et vaticinationibus in libro primo expositam ex epistulis a Cratippo ad Ciceronem datis sermonibusque cum eodem habitis profluxisse arbitraretur, cum vero locum libri secundi, ubi eadem Cratippi ratio improbatur atque refutatur, Panaetio vindicaret[7]).

Ceterum Ciceronem librum secundum in tres divisisse partes Clitomachumque, quo in opere contra divinationem verba fecisset, tripertitam illam divisionem observasse verisimile esse censet[8]).

§ 5. Corssenus[9]) pedibus iit in Schichii sententiam, cum adderet comparationem duorum locorum: I §§ 129 atque 63 cum §§ 114 et 115, quos ex uno fonte manasse putat.

| | |
|---|---|
| I § 129: *animi hominum, cum aut somno soluti vacant corpore aut mente permoti per se ipsi liberi incitati moventur, cernunt ea, quae permixti cum corpore videre non possunt.* | § 114: *ii quorum animi spretis corporibus evolant .... ardore aliquo inflammati atque incitati moventur, cernunt illa profecto, quae vaticinantes pronuntiant.* |
| § 63: *iacet corpus dormientis ut mortui, viget autem et vivit animus.* | § 115: *viget enim animus in somnis liber ab sensibus omnique inpeditione curarum iacente et mortuo paene corpore.* |

1) §§ 48, 59, 55, 56*a*; Schiche p. 15, 16.
2) p. 20.
3) p. 16, 21.
4) passim.
5) p. 15, 22, 38, 39, 40.
6) p. 43.
7) de div. I, §§ 70, 71; II §§ 100—106; Schiche p. 13, 20, 24, 40.
8) p. 43.
9) De Posidonio Rhodio M. Tulli Ciceronis in libro primo Tusc. disp. et in somnio Scipionis auctore p. 14, 15 (a° 1878).

Praeterea de hac quaestione nihil apud Corssenum invenitur, quod non iam Schichius dixerit.

§ 6. Hartfelderus[1]) cum Schichio fere consentit. Posidonii enim ll. V περὶ μαντικῆς fontem primarium esse in libro primo, sed Caelianorum quoque epitomam quam Brutus composuerit adhibitam esse existimat. Maassius[2]) miratur, quod Hartfelderus nihil dixerit de Boëtho, qui tamen Ciceronis fons esse videatur in l. I § 13 et in l. II § 145. Sed num Hartfelderus re vera in hac re erraverit, postea videbimus.

In libro secundo Clitomachum fontem esse censet praeter §§ 87*b*—97*b* (= cc. 42, 43, 44, 45, 46), ubi Panaeti de Chaldaeorum arte liber Ciceroni ad manum fuisse ei persuasum est.

§ 7. Dielsius[3]) et Schmekelus[4]) faciunt cum Schichio et Hartfeldero, quorum tamen studiis nil novi, quantum ad hanc quidem quaestionem pertinet, addiderunt.

§ 8. Hoyerus[5]) prorsus aliam de fontibus sententiam promulgavit; sic enim rem se habere credit: Cicero usus est fontibus quattuor in utroque libro qui fontes sunt 1⁰. Antiochi Ascalonitae opus ingens, quo philosophiam omnem critice tractavit, cuius pars inscripta erat περὶ μαντικῆς. 2⁰. Excerptum Cratippi, qui auctorem habuit Dicaearchum. 3⁰. Excerptum Posidoni (περὶ θεῶν?), in quo breviter huius philosophi divisio divinationis laudabatur. 4⁰. Chrysippi (cf. I 6) libri duo de divinatione cum appendice duos libros de oraculis et de somniis continente. Cuius operis partem per alium scriptorem Ciceronem cognosse putat, nam iudicii, quod de Chrysippo interponatur, auctorem non Ciceronem ipsum habendum esse (cf. I 39).

Hoyerus de librorum, quos fontes Ciceronis fuisse statuit, compositione haec addit:

1⁰. Antiochus argumentum per quattuor partes ordine disposuit: *A.* quarum rerum sit divinatio, an earum quae sensibus percipiantur. *B.* quae sit in artibus divinatio. *C.* quae in philosophia. *D.* num sit in republica. (cf. II §§ 9—12).

2⁰. Cratippus auctore Dicaearcho librum suum in duas divisit partes: *a*) divinationem furoris, *b*) divinationem somniorum.

3⁰. Posidonius originem divinationis duxit a deo, a fato, a natura (cf. I § 125) et huic sententiae congruenter opus suum disposuit.

---

1) Die Quellen von Ciceros zwei Büchern de divinatione (1878).
2) Philol. Untersuchungen herausgegeben von Kiessling und Wilamowitz—Moellendorff p. 156 (a° 1892).
3) Doxographi p. 224 (a° 1879).
4) Die Philosophie der Mittleren Stoa p. 13, ann. 8 (a° 1892).
5) Rh. Mus. LIII, p. 54 sqq. (a° 1898).



4⁰. Chrysippus universam divinationem duobus libris tractavit adiectis duobus de oraculis et de somniis.

Praeterea Hoyerus monet hanc divisionem apud Ciceronem inveniri:

1⁰. divinatio artificiosa *a.* ex coniectura, *b.* ex observatione diuturna.

2⁰. divinatio naturalis *a.* ex furore, *b.* ex somniis (cf. §§ 11, 34 cet.).

Hae sunt virorum doctorum opiniones de quaestione nostra prolatae. Iam videamus, quatenus iis assentiri oporteat, ac si id exploratum habebimus, rogandum erit, satisne quaestioni opera navata sit, an res nonnullae restent, quae explicatione egeant.

## CAPUT SECUNDUM.

Antequam de ipsis fontibus agemus, fortasse e re erit lectoribus breviter in memoriam redigere, quomodo Cicero de divinatione disputans in libro primo Quinto fratri huius artis defendendae partes tribuerit, in secundo ipse eam impugnaverit.

§ 1. Iam percurramus librum primum. Expositis populorum et philosophorum nonnullorum de divinationis veritate sententiis personae dialogi inducuntur Marcus et Quintus in Tusculano disserentes de divinatione. Distinguuntur duae divinationes: artificiosa et naturalis, quarum altera animadversione et coniectura nititur pertinetque ad exta auguria astrologiam sortes, altera, quae somnia et vaticinationes amplectitur, concitatione quadam animi aut soluto liberoque motu rem agit. In quibus potius quid fiat rogandum est quam cur fiat (I §§ 1—23). Neque si multa minus eveniunt, ideo divinatio spernenda est, quoniam prorsus idem fit aliis in artibus, quae coniectura nituntur: saepe enim homines falli nec tamen eas hanc ob rem sperni. Maior pars eventorum divinationem probat, quod nemo negabit, qui historiae antiquae peritus est (§§ 24—33). Tum denuo Cicero idem discrimen breviter tangit, quod iam supra (§ 11) inter artificiosam naturalemque divinationem statuit. Et cum ante cuncta divinatio tractaretur (§§ 1—33), nunc primum de naturali (§§ 34—72), deinde de artificiosa (§§ 72—80) agit. Cumque naturalem divinationem veram esse Cratippi ratione (§ 71) concludatur, artificiosa non ratione singulari ornatur, sed una cum naturali ratione Chrysippi Diogenis Antipatri confirmatur (§§ 82 - 83), quae ratio iam breviter supra (§ 10) indicata erat[1]). Deinde omnia quae dicta sunt, paucis verbis Cicero repetit (§§ 84—86) et quodam modo perorat, quasi finem disputationi impositurus sit (cf. *quid est igitur* cet.), sed § 87 denuo (*quis est autem quem non moveat.... antiquitas?*) de historiae exemplis narrare incipit: nam antiquitate (§ 87*b*) et locis divinationi opportunis (§ 93) atque optuma quaque republica (§ 95), ubi auspicia ceteraque divinandi genera valuerunt, divinatio

1) ..*„ut et si divinatio sit, di sint et si di sint, sit divinatio.“*



probari dicitur. His rebus expositis posteriore parte libri primi Posidonio auctore (§ 125) divinationem ducit Quintus a deo, a fato, a natura, reiectis tamen sortilegis, psychomantia aliisque superstitionibus, etsi iam antea (§§ 64, 81) quaestionem de causis divinationis attigerat.

§ 2. In libro secundo pauca Tullius praefatur de suis philosophiae studiis librisque de hac re a se scriptis et philosophiam, praesertim cum consolationem status miseri rei publicae praebeat, civibus suis commendat (§§ 1 - 8). Initium facit a Carneadis ratiocinatione nullam divinationem esse neque earum rerum quae sensibus percipiantur, neque earum quae arte tractentur, neque earum quae in republica versentur; proinde nullam esse divinationis tamquam materiem. Si futurae res fortuitae sint, praesensionem earum omnino exstare non posse, quia si quid fortuitum sit, non praesentiri possit, neque quod praesentiatur fortuitum sit. Sin cum Stoicis putemus omnia fato esse subiecta, divinationem nobis nihil prodesse, cum nihilosecius illud fiat, quod futurum sit. At si fatum posse flecti arbitremur, nullum esse fatum, nullam igitur esse divinationem (§§ 8—21). Prorsus inutilem esse hominibus futurarum rerum scientiam neque eos rebus divinis ad mala mitiganda quicquam proficere, si nihil fiat extra fatum (§§ 22—26*a*).

Deinceps singula divinationis genera, quae (§§ 26*a*—27) denuo partitur, refutantur: haruspicina sive exta §§ 28—41, fulgura §§ 42—49, ostenta et portenta §§ 49—69, auspicia §§ 70—84, sortes §§ 85 87, Chaldaeorum praedictiones §§ 87—99; quae reliqua sunt duo naturalis divinationis genera (§ 100), alterum ex furore natum, oraculorum et vaticiniorum §§ 101—118, alterum somniorum §§ 119—142 redarguitur.

Extorum divinationem ineptam et absurdam dicit, fulgurum autem natam esse ex eo quod homines deos timeant; fulmina enim vi naturae, nulla constantia, nullo rato tempore effici ideoque ex iis nullam significationem rerum consequentium esse posse. Signa vero et portenta saepe ficta et rara, sed non ita ut natura non fieri possint, porro ineptum esse signa mitti, quae explicatione egeant, neque raro signa inter se minus convenire. Auspicia more maiorum observari superstitiosae plebis causa et rei publicae gratia; Romae iam non usitata esse neque sibi constare atque alia auspicia alios populos tueri. Sortes ne plebem quidem flocci facere. Chaldaeorum divinationem, ab ipsis astrologis illustrissimis spretam, iniuria stellas potius quam aerem caelumque pertinere ad hominum naturam et casus velle, neque eandem stellarum positionem eadem efficere hominibus

iis, qui nati sint eodèm tempore. Accedere quod qui diversis locis eodem nati sint tempore, tamen alio statu caeli et stellarum ortos esse, et in omni astrologia non rationem habitam esse parentum naturae, quomodo cum liberorum iuncta sit.

Quod ad naturalem divinationem attinet (ita Marcus pergit), furore captos homines futura non melius praesentire putandum est, quam eos qui mentis compotes habentur; ipsi enim libri Sibyllini non e furiosa mente, sed e sagaci et prudenti profluxerunt. Oraculis, de quibus fabulae narrant, non credi oportet, cetera vero falsa aut fortuito vera aut ambigua; quodsi oracula vi divina darentur, nunquam factum esset, ut Ciceronis temporibus atque antea oracula Delphis non ederentur. Somnia vera esse non putandum est, quod homines vel vigilantes saepe errant, nec quidquam de omnium somniorum veritate statui licet, si unum vel pauca somnia eveniunt; quin etiam si essent vera, tamen nihil valerent propter ambiguitatem.

Quare, inquit Cicero, divinatio tollatur, religio retineatur; nam sapientis est maiorum instituta tueri sacris caerimoniisque, et esse praestantem aeternamque naturam et eam suspiciendam admirandamque hominum generi pulchritudo mundi ordoque rerum caelestium cogit confiteri.

Si quis quaecumque Cicero disputat in libello de quo agitur sibi ob oculos proponens quaerit, quinam fuerint fontes, unde hortulos suos irrigaverit, proficiscendum est non ex opinionibus vel coniecturis sed ex ipsis rebus: loci igitur colligendi sunt, ubi philosophi laudantur necnon rerum scriptores poetaeque, quibus Cicero ipse se usum esse dicit. Quare utile erit eos locos hic describere et brevi sub conspectu ponere, quo facilius possint inter se comparari, neve subinde opus Tullianum nobis evolvendum sit.

### *A.* DE LIBRO PRIMO.

**§ 3.** Index locorum ubi Cicero in l. I ipse fontes suos laudat.

Lib. I, c. 1, § 1. *divinationem quam Graeci μαντικήν appellant..., ut Plato interpretatur, Graeci a furore duxerunt.*

2, 4. *ut Octaviano bello (praedictiones) Cornelii Culleoli audiendas putaverunt......*
*ex Caeciliae Baliarici filiae somnio.*

3, 5. *Colophonius Xenophanes unus, qui deos esse diceret, divinationem funditus sustulit.*
*Dicaearchus Peripateticus cetera divinationis genera*



*sustulit, somniorum et furoris reliquit, Cratippusque isdem rebus fidem tribuit, reliqua divinationis genera reiecit.*

3, 6. *Chrysippus qui totam de divinatione duobus libris explicavit sententiam, uno praeterea de oraclis uno de somniis quem subsequens unum librum Babylonius Diogenes edidit, eius auditor, duo Antipater, quinque noster Posidonius. Sed a Stoicis vel princeps eius disciplinae, Posidonii doctor, discipulus Antipatri, degeneravit, Panaetius nec tamen ausus est negare vim esse divinandi, sed dubitare se dixit.*

4, 7. *a Carneade multa acute et copiose contra Stoicos disputata sint...*

5, 9. Quintus: *ego sic existimo, si sint ea genera divinandi vera, de quibus accepimus quaeque colimus esse deos vicissimque, si di sint, esse qui divinent.* 6, 10. *Arcem tu quidem Stoicorum, inquam, Quinte, defendis.*

7, 12. *Quare omittat urguere Carneades, quod faciebat etiam Panaetius requirens, Iuppiterne cornicem a laeva, corvum a dextera canere iussisset.*

8, 13. *etsi video Boëthum Stoicum esse conatum* (sc. causas praesensionum elicere), *qui hactenus aliquid egit ut earum rationem rerum explicaret quae in mari caelove fierent.*

13, 23. *quaeris Carneades, cur haec ita fiant aut qua arte perspici possint. Nescire me fateor, evenire autem te ipsum dico videre. Casu, inquis.*

ibid. *fingebat Carneades in Chiorum lapicidinis saxo diffisso caput extitisse Panisci; credo, aliquam non dissimilem figuram* cet. .... *sic enim se profecto res habet, ut numquam perfecte veritatem casus imitetur.*

14, 24. *ut ait Pacuvius.*

15, 27. *ut ex ipso audiebam* (Deiotaro).

16, 29. *M. Crasso quid acciderit, videmus.*

17, 31. *quis veterum scriptorum non loquitur quae sit ab Atto Navio per lituum regionum facta discriptio? .... ex eo evenit ut et Tarquinius augure Atto Navio uteretur.*

17, 33. *.... cotem .... accepimus.*

ibid. *quod scriptum apud te est de Ti. Graccho* (scil. de nat. d. II 4, 10—11).

18, 36. *ut C. Gracchus filius eius scriptum reliquit.*

19, 37. *collegit innumerabilia oracula Chrysippus nec ullam sine locuplete auctore atque teste quae quia nota tibi sunt, relinquo, defendo unum hoc.*

20, 39. *veniamus ad somnia; de quibus disputans* Chrysippus *multis et minutis somniis colligendis facit idem quod* Antipater *ea conquirens, quae Antiphontis interpretatione explicata declarant illa quidem acumen interpretis sed exemplis grandioribus decuit uti* (cf. 3, 6).

20, 39. *Dionysii mater .... ut scriptum apud* Philistum *est, et doctum hominem et diligentem et aequalem temporum illorum .... ut ait* Philistus.

20, 40. *narrat enim et apud* Ennium *Vestalis illa* cet.

21, 43. *quod in nostri* Fabii Pictoris *Graecis annalibus eiusmodi est.*

ibid. *somnium de quo in Bruto* Accii *loquitur ipse* (Tarquinius Superbus).

23, 46. *matrem Phalaridis scribit* Ponticus Heraclides (cf. 57, 130) *doctus vir, auditor et discipulus Platonis.*

23, 46. *quid ego .... ex* Dinonis *Persicis proferam?*

24, 48. *Hannibalem* Caelius *scribit* cet.

24, 49. *hoc item in* Sileni *quem* Coelius *sequitur Graeca historia est (is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est).*

24, 50. *apud* Agathoclem *scriptum in historia est.*

24, 51. *dixit quod exstat in* annalibus.

25, 52. *est apud* Platonem *Socrates* cet.

25, 53. Aristoteles *scribit Eudemum Cyprium .... Pheras venisse.*

26, 55. *omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxume* Coelius.

26, 56. *ut scriptum apud eundem* Coelium *est .... scribit* Coelius.

27, 56. *illa duo somnia quae creberrume commemorantur a* Stoicis, *quis tandem potest contemnere.*

28, 58. *saepe tibi meum narravi, saepe ex te audivi tuum somnium.*

29, 60. *vide quid Socrates in* Platonis *Politia loquatur.*

30, 62. *Epicurum igitur audiemus potius? Namque* Carneades *concertationis studio modo hoc, modo illud ait.*

30, 64. *divinare autem morientes illo etiam exemplo confirmat* Posidonius cet.

32, 68. *ex te ipso .... audivi.*

32, 70. *quorum amborum generum* (sc. somnii et furoris) *una ratio est, qua* Cratippus *noster uti solet.*

32, 71. Cratippus *solet rationem concludere hoc modo.*



33, 72. *haec* (artificiosa genera divinandi) *improbantur a* Peripateticis, *a* Stoicis *defenduntur.*

33, 72. *ut in* Sullae *scriptum historia videmus, quod te inspectante factum est.*

33, 73. *discessit, ut ait* Philistus, *aegre ferens.*

34, 74. *at eodem tempore Thebis, ut ait* Callisthenes.

35, 78. *magnum illud etiam, quod addidit* Coelius.

36, 79. *atque hanc speciem Pasiteles caelavit argento et noster expressit* Archias *versibus.*

37, 80. *negat sine furore* Democritus *quemquam poetam magnum esse posse quod idem dicit* Plato.

38, 81. Aristoteles *quidem eos .... censebat habere aliquid in animis praesagiens atque divinum.*

38, 82. *quam quidem esse re vera hac* Stoicorum *ratione concluditur* cet.

39, 84. *Hac ratione et* Chrysippus *et* Diogenes *et* Antipater *utitur.*

40, 87. *Calchantem augurem scribit* Homerus cet.

40, 88. Homerus *ait solum sapere* cet. (sc. Tiresiam).

40, 89. *Marcios quosdam fratres .... fuisse* scriptum videmus *.... nonne* Homerus cet.

44, 99. *quod quidem somnium* Sisenna *cum disputavisset.*

44, 100. *quid quod in* annalibus *habemus* cet.

44, 101. *atque etiam* scriptum *a* multis cet.

46, 104. *L. Flaccum ....* ego audivi, *cum diceret* cet.

47, 106. *ut utar potissimum* te auctore.

48, 107. *ut* apud Ennium *est.*

49, 109. *parumne Epicuro Carneadive respondeam?*

50, 113. *itaque ea duo genera a* Dicaearcho *probantur et ut dixi, a* Cratippo *nostro.*

52, 118. *non placet* Stoicis *singulis iecorum fissis aut avium cantibus interesse deum.*

53, 121. *quale* scriptum *illud* videmus cet. *quod scribit* Herodotus *.... quae* historia *non prodidit.*

54, 123. *scriptum est item* cet.

*permulta collecta sunt ab* Antipatro *quae praetermittam quae mirabiliter a Socrate divinata sunt.*

55, 125. *ut* Posidonius *facit.*

57, 130. *sed tamen id quoque rimatur, quantum potest,* Posidonius.

*ut scribit* Ponticus Heraclides.

57, 131. *Democritus autem censet . . . . ut ille Pacuvianus . . . . physicus.*
58, 132. *atque haec quidem Ennius.*

§ 4. De fontibus a Cicerone in l. I laudatis.

Si copiosam expositionem, quae capite tertio libri primi continetur, missam facimus, ubi Cicero disserit quid singuli philosophi de divinatione senserint, inter Stoicos, quos ipse scriptor secutum se esse bis significat[1]), Boethum imprimis nominari animadvertimus, qui aliquid egit ut earum rationem rerum explicaret, quae in mari caelove fierent (8, 13). Chrysippi nomen ter occurrit, nec tamen ita ut ipse Tullius eius philosophi opera inspexisse potius quam Chrysippi placita apud alium auctorem legisse videatur. Nam cum innumerabilia oracula collegisse dicatur (19, 37) neque ullum sine locuplete auctore atque teste, ea quia nota sint, Cicero Quintum fratrem relinquentem facit. Eodem modo (20, 39) somnia quidem multa Chrysippum et Antipatrum collegisse Quintus narrat, sed Chrysippo vitio dat, quod non exemplis grandioribus usus sit, quare in iis quae sequuntur ad Philisti historias transit. Itaque hic quoque nomen Chrysippi occurrit, quamquam eius opere usum esse Tullium non apparet. Tertio loco (39, 84) Chrysippus una cum Diogene et Antipatro ex eo quod di sunt, divinationem probasse dicitur. Deinde attendendum est Antipatrum denuo (54, 123) multa exempla collegisse dici, in quibus Socrates recte divinavisset, adiectis tamen verbis ,,quae praetermittam.'' Cum autem in secundo quoque libro Antipater nonnisi cum Chrysippo nominetur, admodum veri simile est hos duos de divinatione idem sensisse. Verum ex Chrysippi Diogenis Antipatri libris (3, 6) Ciceronem argumenta sua petisse nusquam patet.

At Posidonius Stoicus in libro primo ter nominatim affertur, idque ita ut eius libris quin ipse Cicero usus sit, dubitare non possimus. Utrum autem totum librum primum an partem eius e quinque libris *περὶ μαντικῆς*[2]) (3, 6) hauserit, de hac re mox sermo erit: nunc de illis locis. Iam vero 30, 64 exemplum apud Posidonium obvium laudatur, unde appareat homines paulo ante mortem divinare. In posteriore vero primi libri parte omnino Posidonii auctoritate

1) Cf. I § 10; II § 8.

2) Diog. Laert. VII 149 *καὶ μὴν καὶ μαντικὴν ὑφεστάναι πᾶσάν φασιν, εἰ καὶ πρόνοιαν εἶναι· καὶ αὐτὴν καὶ τέχνην ἀποφαίνουσι διά τινας ἐκβάσεις, ὥς φησι Ζήνων τε καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ μαντικῆς καὶ Ἀθηνόδωρος καὶ Ποσειδώνιος ἐν τῷ δευτέρῳ τοῦ φυσικοῦ λόγου καὶ ἐν τῷ πέμπτῳ περὶ μαντικῆς.* Cf. Stoicorum Veterum fragmenta colleg. Ioannes ab Arnim vol II, p. 342 sqq.



nititur, ubi divinationem ducit a deo, a fato, a natura (§§ 125 et 130), a quibus non modo in somniis ac vaticinationibus in quibus divinatio naturalis versatur, sed etiam in extis, signis, fulgoribus, avibus, astrologia, quae ad artificiosam pertinent, Posidonius divinandi vim repetisse dicitur. Accedit ad hos tres locos alius quem iam supra laudavi (39, 84), ubi Stoicorum nomina enumerantur qui divinationem a dis repetunt: Posidoni tamen nomen ibi abest, quod qui factum sit facile perspicimus. Cicero enim in hac ratione referenda ipsum Posidonium adhibuit et apud eum trium illorum philosophorum Chrysippi Diogenis Antipatri, qui ante Posidonium floruerunt, nomina invenit, sed auctoris sui nomen addere, qui sine dubio eandem illam rationem tamquam Stoicus probavit, hoc eum fugit.

Praeter Stoicos Peripatetici divinationem defendebant, non tamen universam, sed modo somnia et vaticinationes, cuius scholae princeps Ciceronis temporibus erat Cratippus. Ex eius doctrina in Ciceronis librum primum de divinatione fluxerunt ea quae 32, 71 legimus: ,,etiam si quid semel ita sit divinatum, ut nihil fortuito cecidisse videatur, hoc satis esse ad confirmandam divinationem: neminem enim de veritate oculorum dubitare, etsi hi quoque nonnumquam suo munere non fungantur.'' Hac de re cum Dicaearcho Cratippus consentiebat. Sed has Peripateticorum opiniones non apud ipsos legisse, sed potius apud Posidonium ideo pro certo habeo, primum (ne dicam de ista scribendi libros philosophos festinatione, qua Cicero multos simul fontes adire prohibebatur) primum, inquam, quod post (50, 113) ita de Cratippi ratione agitur, ut quin hoc e mente Stoici philosophi dictum sit, nemo dubitet[1]), deinde quia 55, 125 in ea parte, ubi constat Posidonium fontem esse, Cicero prorsus eadem utitur ratione, quam Cratippi esse e §§ 70, 71 cognovimus; nam ibi (§ 125) quoque ,,esse certe divinationem idque esse omnibus confitendum'' Quintus profitetur, ,,si unum aliquid ita sit praedictum praesensumque, ut cum evenerit, ita cadat, ut praedictum sit, neque in eo quicquam casu et fortuito factum esse appareat.'' Quare et Stoica et Peripatetica in libro primo Tullius Posidonio debere mihi videtur.

Sed divinationis refutatio, quae suum proprium locum in secundo libro habet, etiam in primo passim invenitur, ubi Carneades vel solus (4, 7) vel cum Panaetio (7, 12), vel cum Epicuro (13, 23; 30, 62; 49, 109) laudatur. Nam Carneades imprimis Stoicis vehementer

1) Cf. praesertim haec verba: *sed quoniam dant aliquid idque non parvum cet.*

adversabatur, quod ipse Tullius in libri secundi testatur fine (§ 150). Nec tamen est cur haec ab eodem Posidonio iam dicta esse atque ex eius libris Ciceronem sumpsisse negemus. Doctissimus enim ille Stoicus procul dubio non ignorabat, quid Academici contra divinationem protulissent, et re vera partem Posidonii de divinatione sententiae quasi natum esse e Clitomachea refutatione [1]) postea (c. II § 7) demonstrabimus. Praeterea verba, quae supra attigi, ubi de § 113 agebatur, docent iam in fonte, quo Cicero ibi usus est, scriptori disceptationem quandam fuisse cum iis qui omnino divinationem negabant [2]). Ciceronem igitur, cum alibi Posidonium secutus sit isque sine dubio contra Academicos disputaverit, ea quoque, quae Carneadis nomen prae se ferunt, ex eodem philosopho hausisse non sine causa suspicamur. Panaetii vero sententiam, qui de divinatione, etsi Stoicus erat, dubitabat, apud Posidonium Stoicum legisse Ciceronem etiam magis probabile est, praesertim cum eius nomen in hoc saltem libro non plus bis (§§ 6 et 12) commemoretur, et Epicurum saepissime [3]) Posidonius impugnasse videtur. Itaque omnia philosophorum placita e Posidonio Ciceronem in suum usum convertisse, ex iis quae supra disputavimas, satis constare videtur. „Sed," dicat quis „quid de Platone, de Aristotele aliorumque philosophorum multorum nominibus, quae passim apud hunc occurrunt iudicandum est? haecine quoque e Posidonio fluxerunt?" Ita est. Non Cicero ille quidem prorsus veteris philosophiae Graecae imperitus fuit, Platonem, verbi causa, aut totum aut partim saltem legit [4]); sed inter viros doctos iam dudum constat Ciceronis de philosophia libros non praecipue continere ipsius super hac re studia, sed eum fontes Graecos ita interpretatum esse, ut a popularibus intellegi possent [5]). Philosophi autem veteres quid sentirent de divinatione eiusve partibus apud Posidonium legere potuit; atqui Posidonium in maiore libri primi parte, ut vidimus, adhibuit; ergo has quoque veterum philosophorum opiniones ex eodem philosopho hausisse eum veri simillimum est.

Sed hoc non nimis urguendum est: quis enim pro certo affirmare

1) Carneades ipse nihil litteris mandavit, sed Clitomachus eius placita memoriae prodidit.

2) *nihil est quod cum his magnopere pugnemus* (scil. cum Dicaearcho et Cratippo). Mente supplendum est nimirum: „sed est quod pugnemus cum aliis," sequuntur enim haec: *praesertim cum sint qui omnino nullam divinationem probent.*

3) Cf. Sorofium ad Cic. Tusc. I, § 48; II, § 8: *Epicurum autem et Metrodorum non fere praeter suos quisquam in manus sumit*; cf. etiam 45.

4) cf. II, 2, 6.

5) cf. Hartfelderum p. 1.



ausit utrum e Platone ipso an e Posidonio sumpserit quae e Platonis Politeia laudentur 29, 60? Ita enim res se habet: Cicero iam in pueritia ac deinde virilibus annis philosophiae studere coepit et provecta iam aetate propter rei publicae statum his studiis renovatis philosophiam Graecam Latinis litteris illustravit [1]). Quare multa in memoria Tullii haesisse quis negabit? Sed si quaestionem premas et roges, cuius philosophi scriptum volutaverit, cum de divinatione scriberet, multo magis veri simile est eum apud eundem quem alibi philosophum adhibuit, veterum quoque philosophorum placita atque exempla legisse quam apud ipsos.

Neque dubito idem profiteri de historicis Graecis. Nam si primo conspectu suspicaberis Heraclidem Ponticum Ciceroni praesto fuisse [2]), illud reicies, opinor, cum reputaveris in fine [3]) libri primi illum rerum scriptorem strictim memorari in ea parte, quae certo Posidonii est, quare facere non possum, quin alterum quoque locum ex Heraclide sumptum ad Posidonium referam. Eodem modo Dinonis Persica non ipsa, sed per Posidonium Ciceroni exemplum praestiterunt de Cyri somnio [4]). Nam verba ea quae c. 23 § 47 s. f. legimus „*haec de Indis et Magis*," omnia amplectuntur quae disseruit de illis in capite 23, eaque uni fonti deberi inde liquet, quod Alexandri tempus nascendi [5]) et templi Dianae deflagratio prorsus non ad rem pertinent de qua agitur, nec quidquam commune habent cum antecedentibus, nisi quod utroque loco sermo est de Indis et Magis. Quod si concedes et deinde conferes §§ 64 et 65, videbis Ciceronem ipsum haec omnia ad Posidonium auctorem referre; nam ibi Callani exemplum [5]) e Posidonio sumpsisse se dicit atque id (§ 47) tam arte cum ceteris coniunctum est, ut iam Dinonem non ipsum evolvisse, sed apud Posidonium laudatum invenisse Tullium facile perspicias.

De Philisto postea (p. 24) dicam, ubi de iis rebus sermo erit, de quibus a viris doctis qui de hac quaestione scripserunt, dissentio. In universum hoc valebit Ciceronem non habuisse, cur fontes primarios adiret, ubi Posidonius ipse exemplis historiae Graecae abundaret, nam non solum Stoicus ille philosophiae peritus erat, sed in historia quoque versatus, quippe qui Polybii opus continuaverit, fuitque „*ἀνὴρ τῶν καθ' ἡμᾶς φιλοσόφων πολυμαθέστατος*" [6]) quare

1) II, 2, 5—7.

2) cf. I, 23, 46.

3) I, 57, 130.

4) I, 23, 46.

5) cf. § 47.

6) Athenaeus XVI, p. 753. cf. Schäfer, Quellenkunde der R. Gesch. p. 68.

probabilius est apud eum historica exempla Graeca Ciceronem legisse, quam apud historicos laudatos, quod non magis dictum est de Dinone et Heraclide quam de Herodoto[1]), Xenophonte[2]), Callisthene[3]).

Agathoclem in hac nominum serie desideres fortasse, sed consulto praeterii. Exstat enim ingeniosa de hac re coniectura[4]). Nulla causa scilicet excogitari potest, qua Agathocles[5]) qui historias *περὶ Κυζίκου* scripsit, inciderit in Hamilcarem[6]). Contra illius Agathoclis, qui Hamilcaris temporibus fuit Syracusanorum tyrannus, rerum gestarum descriptionem continuisse multa etiam de adversario eius Hamilcare unusquisque concedet. Itaque Cicero in fonte suo Graeco legisse videtur: *ἔστι δὲ ἐν τῇ τοῦ Ἀγαθοκλέους ἱστορίᾳ* idque non recte intellexisse, nempe in descriptione rerum ab Agathocle gestarum etiam Hamilcaris illud somnium referri, sed falso *Ἀγαθοκλέους ἱστορίαν* accepisse pro historia ab Agathocle scripta.

Posidonius igitur philosophorum placita et historicorum Graecorum exempla Ciceroni suppeditavit. Sed insunt etiam nomina historicorum Romanorum et poetarum Latinorum et Graecorum in libro primo: quae tamen non omnia a Graeco fonte sunt aliena. Caelius[7]) ter nominatur, semel Gracchus[8]), Fabius[9]), Sulla[10]), Sisenna[11]). Afferuntur et laudantur Aratus, a Cicerone Latine versus, versusque nonnulli e Ciceronis libro secundo Consulatus et ex eiusdem Mario (§ 106)[12]), Ennius[13]) Accius[14]), Pacuvius[15]); minoris momenti est nomen Archiae[16]); postremo Homerus memoratur[17]). Fabii autem annales Graeci, non Latini laudantur a Cicerone, quod aliter explicari non potest, nisi quod

1) I, 53, 121.
2) 25, 52.
3) 34, 74.
4) Coniectura est Schichii, p. 18.
5) Athen. VIII, p. 375 F.
6) I, 24, 50.
7) 24, 48; 26, 55—56; 35, 78.
8) 18, 36.
9) 21, 43.
10) 33, 72. Dubitari quidem potest utrum h.l. de „historia a Sulla scripta" sermo sit, an ea quae Sisenna in historiis de Sulla scripsit, significentur.
11) 44, 99.
12) §§ 13, 14, 15, 17—22.
13) 20 §§ 40, 41, 42; 40 § 88; 48 § 107; 58 § 132.
14) 22, 44.
15) 14, 24; 57, 131.
16) 36, 79.
17) 40, 87 seqq.



aut Graecos praeferebat aut (atque id veri similius est) Posidonii opere utens iam in ea Graecam illam Fabii narrationem invenit[1]). (Similiter Persius (Sat. V 161 sqq.) non Terentii Eunuchum adhibet, ut ex nominibus propriis apparet, sed Menandri fabulam, quippe quae iam in fonte Stoico et Graeco, quem expressit, ei praesto esset.)

Caelium autem non ipsum, sed epitomam Caelianorum a M. Iunio Bruto compositam Ciceronem adhibuisse veri simile est, quod hanc epitomam una cum Panaetii libro *περὶ προνοίας*[2]) ut sibi mitteret, ab Attico petivit in epistola, a° 45 ante Idus Iunias scripta (et anno post libri de divinatione editi sunt). Cetera vero quae Cicero ex historia Romana prompsit, non aliis fontibus praebita sunt, sed ipse Cicero haec memoriter protulit aut exemplaria Latina inspexit.

Restat ut Silenum non ipsum adhibitum esse demonstremus[3]): nam etiamsi res Hannibalis eiusque somnia apud Caelium ad Silenum ita referrentur, ut Sileni nomen additum esset, tamen admodum dubium esset, num Brutus in Caelianorum epitoma Sileni nomen apposuisset. At ne hoc quidem concesso ita explicatur, quomodo inciderit in Caelium eiusve epitomam adhibuerit neque cur Sileni nomen occurrat. Hanc rem uno tantum modo enucleare possum. Si Posidonius exempla multa historica protulit eaque Cicero in suum usum convertit, sed in hoc ipso opere perficiendo Atticum rogavit, ut sibi Caelianorum epitomam mitteret, has Ciceronis preces cohaerere apparet cum exemplorum e Posidonio sumptorum versione Latina, et Sileni nomen designat, quae haec sit necessitudo. Suspicor enim Ciceronem apud Posidonium Hannibalis somnia Sileni auctoritate tradita invenisse, et ea e versione Caeliana sumere (cuius epitomam a Bruto compositam non ignoravit), quam e Graeco fonte suo Marte convertere maluisse. Utut est, Posidonium iam Silenum esse secutum, deinde Ciceronem Posidonium adhibita Caelii epitoma facilius credam quam Tullium Silenum ipsum sponte adisse. Nam quid habuit Cicero, cur omnino Silenum conferret cum Posidonio vel cum Caelio, quin etiam cur Caelium adhibere voluit? Hae duae res mea coniectura explicantur.

Postremo, ne quid neglectum esse videatur, infra in annotatione laudabo locos, ubi annales allati sunt nullo nomine scriptoris adiecto[4]); sed haec Caelio quoque deberi initium capitis 26 docet[5]).

1) Fabii annales Latini Ciceroni noti erant, cf. de or. II, § 52; de legg. I, 2, 6.
2) Cic. epist. ad Attic. XIII, 8.
3) 24, 49.
4) 17, 31; 19, 33; 24, 51; 40, 89; 44, 100 et 101.
5) *omnes hoc historici Fabii Gellii sed proxume Caelius.*

§ 5. Venio nunc ad sententias virorum doctorum, nam in iis quae adhuc disserui, studui demonstrare, cur Posidonius fons primarius in libro primo sit ducendus. Sed in singulis rebus viri docti inter se dissentiunt, et, pace eorum dixerim, est ubi fallantur, neque desunt quae ab iisdem praetermissa esse videantur, cum nihilominus ad rem pertineant.

E re erit primum de Schichii, deinde de Hartfelderi, tum de Hoyeri sententia disputare, nam is fuit temporum ordo, quo sententiae singulae in lucem prodierunt.

Schichius in quinque partes Ciceronem idcirco disputationem suam divisisse arbitratur[1]), quod ei praesto essent Posidonii *περὶ μαντικῆς* libri quinque[2]), quibus eodem modo de eodem argumento ageretur. Quae partes sunt[3]):

$1^0$. divinationis universae defensio §§ 8—25*b*;
$2^0$. de divinatione artificiosa §§ 34—37;
$3^0$. de divinatione naturali §§ 37—84;
$4^0$. quibus rebus divinatio confirmetur §§ 84—97;
$5^0$. rationes philosophicae divinationis §§ 109—132.

Sed mihi librum primum de divinatione perscrutanti illa divisio non ita erat perspicua, immo vero multa erant obvia, quae ei repugnare viderentur. Iam primum Cicero § 34 non novam partem ordiri se significat, quemadmodum § 16 ubi professus est pro omni divinatione se responsurum et § 37 ubi diserte dixit se de naturali divinatione acturum et § 72, quo loco exordium statim indicat de artificiosa sermonem fore. Schichius[4]) ille quidem nititur similitudine quae inter §§ 35—36 et § 109 intercedit. Utroque enim loco eodem ordine sermo est de extis, fulguribus, portentis, astris, unde efficit eiusdem fontis locum unum his duobus locis Tullium esse secutum. At si diligentius omnes locos inspexisset, iam § 16—22 breviter de extis et fulguribus et prodigiis verba fieri repperisset, cum in § 23 adhuc de universa divinatione agatur. Nec mirum, nam si quis de omni divinatione disserat et exemplis ornare velit disputationem, necesse est eum haec exempla sumere aut e naturali divinatione aut ex artificiosa. (Tertia non datur.) Si igitur Schichius l.l. ex his exemplis[5]): *terrae saepe fremitus saepe mugitus saepe motus* efficit Ciceronem non de omni divinatione, sed de eius

1) Schihius p. 25.
2) Cf. p. 27.
3) Cf. Schichium, p. 9, 10, 14, 15, 20, 23, 25, 41.
4) p. 12.
5) §§ 35, 36.



parte artificiosa agere, non satis firma eius argumentatio est. Sed etiamsi valeret, non esset, cur hanc partem potius a §§ 35—36 quam a § 16 incepisse Ciceronem putaremus.

Quod autem ad quartam divisionis Schichianae partem attinet, in §§ 84 sqq. breviter enumerantur ea quae Cicero eo usque tractavit, sed haec pars potius pertinet ad ea quae antecedunt, quam ad ea quae sequuntur. Verum c. 40 § 87*b* novae partis initium fit, quod nemo negabit, sed non patet, quare Schichius ei parti soli nomen „confirmationis" imposuerit. Divinatio enim alibi quoque exemplis ac rationibus defenditur et in hac parte nil nisi exempla ac rationes sunt, nec video qui aliter fieri possit. Itaque hoc nomen ab hoc loco alienum videtur.

Sed iam lectorem benevolum ad certas res potius quam coniecturas attendere velim: conferre inter se utile erit locos tres, e qua comparatione statim Schichium errasse patebit.

| | | |
|---|---|---|
| § 1. *vetus opinio est . . . versari quandam inter homines divinationem.* | § 84. *quid est igitur cur dubitandum sit quin sint ea, quae disputavi, verissima, . . . . si . . . . semper ita putatum est . . . .* | § 87. *quis est . . . . quem non moveat . . . . antiquitas?* |
| § 2. *gentem nullam video . . . . quae non significari futura et a quibusdam intellegi praedicique posse censeat principio Assyrii . . . . propter planitiam magnitudinemque regionum, quas incolebant . . . . traiectiones motusque stellarum observitaverunt, quibus notatis, quid cuique significaretur, memoriae prodiderunt: qua in natione Chaldaei . . . . . diuturna observatione siderum* | § 84. *⟨quid est igitur cur dubitandum sit⟩. . . . si populi, si nationes . . . ⟨me cum faciunt⟩.* | |

| | | |
|---|---|---|
| *scientiam putantur effecisse ut praedici posset quid cuique eventurum et quo quisque fato natus esset. eandem artem etiam Aegyptii longinquitate temporum innumerabilibus paene saeculis consecuti putantur. Cilicum autem et Pisidarum gens et his finituma Pamphylia . . . . volatibus avium cantibusque,* ⟨ut⟩ *certissimis signis, declarari res futurus putant.* | | § 91. *in Syria Chaldaei cognitione astrorum sollertiaque ingeniorum antecellunt.* § 93. *etenim Aegyptii et Babylonii . . . . . omnem curam in siderum cognitione posuerunt.* § 92. *Phryges autem et Pisidae et Cilices et Arabum natio* (cf. § 94) *avium significationibus plurimum obtemperat, quod idem factitatum in Umbria accepimus.* |
| § 3. *principio huius urbis parens Romulus non solum auspicato urbem condidisse, sed ipse etiam optumus augur fuisse traditur.* | § 84. ⟨*quid est igitur cur dubitandum sit*⟩ *si sapientissimi viri qui res publicas constituerunt, qui urbis condiderunt* ⟨*mecum faciunt*⟩. | § 95. *quis vero non videt in optuma quaque re publica plurimum auspicia et reliqua divinandi genera valuisse.* |
| § 5. *atque haec, ut ego arbitror veteres rerum magis eventis moniti quam ratione docti probaverunt; philosophorum vero exquisita quaedam argumenta cur esset vera divinatio conlecta sunt.* cf. §§ 5–8. | *si eventa* ⟨*mecum faciunt*⟩. *si summi philosophi* ⟨*mecum faciunt*⟩. | |

Ex hac comparatione supra instituta veri simile mihi esse videtur in fonte quo Cicero usus est, ea quae §§ 87*b*—97 tractantur, ante



§§ 84—87*a* collocata fuisse et iuncta cum §§ 8—84, quibuscum argumento arte cohaerent, sed nunc male separata esse per §§ 84—87*a*, quae collectionem quandam continent („*ea quae disputavi*" § 84) eorundem, quae Tullius in praefatione (§§ 1—6) expositurum se pollicetur. Quin etiam non dubitans contendo verisimile esse §§ 87*b*—97 continere uberiorem, ex eodem fonte fluentem, disputationem de iisdem rebus, de quibus in praefatione libri primi (§§ 2 et 3) brevius actum est.

Iam nunc videamus de quinta illa disputationis parte. Auctore Schichio Cicero §§ 109—124 vim rationemque divinandi a deo, §§ 125—129 a fato, §§ 129—132 a natura repetit. Sed iam I § 64 Cicero dicit Posidonium censere d e o r u m appulsu homines somniare, nec minus §§ 81—84 divinationem a dis repetit, qui loci Schichium fugisse videntur. Postremo §§ 109—114 non de ratione divinationis a dis repetenda sermo est, sed de eius causis mutata quaedam Stoicorum sententia profertur.

Schichius refutat Wachsmuthii (l.l. p. 20 ann.) opinionem putantis de div. I 110 Cratippi placita continere, nam is philosophus[1]) reiecit divinationem artificiosam quae I 109 non reicitur[2]). Sed cur ibi a r t i f i c i o s a p r a e s e n s i o distinguatur a d i v i n a p r a e s e n s i o n e cuius rei explicationem frustra quaesiveris apud Schichium, ego postea enodare conabor (p. 39 sqq).

Ex iis quae supra demonstravimus tamen nobis statuere licet librum primum non a Cicerone in partes quinque esse divisum. Atqui si hoc non constat, non argumento esse potest, ut probemus quinque Posidonii περὶ μαντικῆς libros Tullio fuisse exemplo in libro primo scribendo.

Praeter Posidonium auctore Schichio in libro primo fontes sunt A. C a e c i n a V o l a t e r r a n u s, C l i t o m a c h u s, C r a t i p p u s, P a n a e t i u s, P h i l i s t u s, ut in capite primo pluribus dixi. C a e c i n a m autem Ciceroni notitiam Etruscae haruspicinae praebuisse censet[3]) comparatione fretus, quam inter de div. II §§ 50, 51 et Lydum de ostent. c. 3 instituit. Ibi enim Lydus fabulam ineptam de Tagete, quam apud Ciceronem l.l. legimus, longe aliter narrat. Qui cum inter fontes suos Nigidium Figulum dicat, veri simile est Nigidium illam fabulam

---

1) cf. § 5. *Dicaearchus Peripatetius cetera divinationis genera sustulit, somniorum et furoris reliquit, Cratippusque familiaris noster, quem ego parem summis Peripateticis iudico, isdem rebus fidem tribuit.*

2) *quid? si etiam ratio exstat artificiosae praesensionis facilis, divinae autem paulo obscurior?*

3) p. 43.

non eodem modo narravisse atque Ciceronem, nam si ita res se haberet, procul dubio Lydus illud significavisset, unde sequitur ut Nigidius non Ciceronis de div. II §§ 50, 51 fons fuerit. Neque Varronem secutum esse Ciceronem in hoc opusculo iure Schichius putat, quod Varro decem Sibyllas distinxerit [1]), sed Cicero (I § 34) Erythraeam modo appellet, atque ne Cumanam quidem Sibyllam, Romanis notissimam, adiciat. Itaque si Nigidius et Varro Ciceroni illam de Tagete fabulam non praebuerunt, restat ut Caecina auctor eius sit. Caecina enim scripsit „de Etrusca disciplina" teste Plinio [2]), et ubi ex eius libro Cicero narrationem suam profert, dicit: *haec accepimus ab ipsis.* (II § 50).

Clitomachum iniuria inter libri primi fontes Schichius habere videtur [3]), dicens I §§ 56, 57 somnia Simonidis et civis Megarici e Clitomacho manasse, primum quia additum sit: *illa duo somnia, quae creberrume commemorantur a Stoicis*, deinde quod ea somnia non inserta sint enumerationi somniorum Graecorum [4]). Sed si a Stoicis creberrume memorata sint, non intellego, cur non Posidonium ea rettulisse credendum sit, quippe qui ipse Stoicus fuerit. Verum non a dispositione Graeca aliena sunt. Nam si cap. 26 omittas, quod Schichius ipse a Cicerone ex Caelianorum epitoma in contextum insertum esse existimat, et finem capitis 25 cum initio capitis 27 iunctum esse fingas, dispositione Graeca restituta omnia recte procedunt: tum somnium Sophoclis poetae excipitur somnio Simonidis poetae; cui quidem somnio aliud esse subiunctum, quod ad poetas prorsus non attinet, nemini mirum erit, qui cum § 57 contulerit § 50, unde apparet in Ciceronis fonte separatim actum esse de somniis e vita communi sumptis. Instaurare igitur, nisi fallor, Graeci fontis somniorum ordinem licet hunc fere in modum: somnia imperatorum et regum sequebantur philosophorum et poetarum agmenque claudebant ea quae e vita communi nota erant. Hoc suspicari inde audeo, quod apud Ciceronem ille ordo invenitur, si excipias caput 26, ubi somnia rustici Romani et Gracchi e Caelii epitoma prompta male inserta sunt, ita ut Sophocles a Simonide secerneretur [5]). Neque § 72

---

1) Schichius p. 5 nititur Schol. Platon. Phaedr. p. 315 ed. Bekk.

2) Hist. nat. in fontib. Romanis l. II, p. 22 (Detlefsen): „Caecina qui de Etrusca disciplina."

3) Vide Hartfelderum „die Quellen" etc. p. 11.

4) Schichius p. 19.

5) cf. §§ 39—51 imperatorum somnia, §§ 52—53 philosophorum s., § 54 Sophoclis poetae somnium, § 54*b* Simonidis somnium, § 57 Arcadum somnia, Hartfelderus l.l. *somnia philosophorum*, I § 52 vertit: „Träumen, welche die Philosophen anführen, um ihre Behauptungen zu beweisen, wie die Fortsetzung zeigt." Quasi somnia capp. 20—25 non etiam maxima parte e philosopho fluxerint; ea tamen Cicero § 52 discernit ab iis quae sequuntur, ita: *sed veniamus nunc ad somnia philosophorum.*"



(ubi sermo est de divinatione artificiosa) Clitomachus font est. Iniuria enim Schichius statuit [1]) eam divinationis partem iam §§ 35, 36 pertractatam esse, quod falsum esse ostendere conatus sum (pp. 18 sqq.); putat quidem vir doctus partitionem orationis in §§ 72 sqq. e Stoico fonte sed exempla e Clitomacho hausta esse nec tamen video qua ratione nitatur, exceptis iis, quae ad § 78 dicit, de quibus mox. Quod ad §§ 74—76 attinet, nihil est quod Clitomacho tribuamus. Portenta enim Thebana e Xenophontis Hellenicis Posidonius (id quod dubitat Schichius) afferre potuit, quamquam Xen. Hell. 6. 4. 7 ea *τεχνάσματα τῶν προεστηκότων* appellavit, nam Xenophon ipse addit *οἱ μὲν δή τινες λέγουσιν*, quare non opus est cum Schichio opinari Posidonium auctoritate Xenophontis absterritum esse quominus ea commemoraret. Deinde § 78*b* (ubi fabula narratur de Midae et Platonis pueritia) aliter accipio atque Schichius, qui contendit [2]) non exempla *peritorum* subiungi, licet ante a Cicerone dictum sit: *fiunt certae divinationum coniecturae a peritis.* Sed illa indicantur verbis *praedictum est* et *responsum est:* cumque Schichius non Posidonii haec esse sentiat imprimis quod non peritorum responsa vel coniecturae inveniantur, etsi initio § 78 de iis sermonem fore Cicero dicat, ideoque alteri tribuat, nempe Clitomacho, coniectura eius ad nihil est redacta, quia errore nititur.

Panaetium in §§ 82 et 83 fontem esse opinatur [3]) et a Posidonio eam argumentationem, quae divinationis originem a dis ducat, non probatam esse inde efficit, quod initio § 84 eius nomen a Cicerone praetermissum sit [4]), neque gravissimum illum Stoicum Ciceronique familiarissimum praetermitti potuisse putat, si apud Posidonium ea ratio exstitisset. Praeterea si Posidonius quoque ratiocinationem illam in libro suo habuisset, omnino nullam fuisse causam, cur ea esset posita extra omnem cum reliquis libri partibus coniunctionem. Denique si apud Posidonium Cicero illas §§ 82 et 83 invenisset, non ibidem nomina philosophorum eiusdem sectae idem sentientium lecturum fuisse, quoniam id ab usu cum recentiorum tum veterum philosophorum omnino abhorreat. Ad haec omnia argumenta breviter respondebo. Si

---

1) p. 21 et 36.

2) p. 21.

3) pag. 22 et 23.

4) § 84 *hac ratione et Chrysippus et Diogenes et Antipater utitur.*

Posidonius omitti non potuit, cur, rogo, potuit Panaetius, quem Cicero in praefatione libri primi ita laudat, ut potius cum Panaetio quam cum ceteris facere videatur. Tum si philosophum philosophorum nomina attulisse non credendum est, qui fit ut Panaetius illa tria nomina exhibuerit? Et ipse Cicero nonne tria nomina eiusdem rationis auctorum enumerat, quod facere potuit quivis alius philosophus? Quare multo verisimilius mihi videtur Posidonium nomina illa iam commemorasse et Ciceronem ea in suum opusculum convertisse, cum eum fugeret nomen Posidonii addere.

Philisti historias Ciceroni ea praebuisse, quae §§ 39, 73 de Dionysio legimus exempla, Schichio [1]) concedere non possum. Dispositionem aliquam in sequentibus observandam nondum indicari putat; iure quidem, sed adest dispositio, nil deest nisi titulus, qui indicet, cum Cicero §§ 39 seqq. somnia narret imperatorum (ut postea philosophorum) quod casu non factum est, sed quia fontem Stoicum sequebatur. Cum deinde Dionysius imperator sive dux dicendus sit, eius somnium e Posidonii opere fluxit, qui Chrysippo Antipatroque vitio dedit, quod grandioribus exemplis uti decuerit subiunxitque Dionysii aliorumque virorum clarorum somniorum exempla. Omnia somnia praeter ea, quae c. 22 ex Accii Bruto et c. 24 e Caelio (vel Caelii Epitome a Bruto composita) inseruntur, Graecorum sunt, velut quae narrare incipit inde a § 39 *veniamus ad somnia* et pergit § 46 *age nunc ad externa* (scil. somnia) *redeamus*. Ergo ,,dispositio'' non desideratur [2]). Praeterea alibi [3]) in hac parte laudantur Fabii annales Graeci, quos Ciceronem inspexisse ipse Schichius negat, sed a Posidonio iam adhibitos esse suspicatur. Cur igitur non Philisti exempla Ciceronem apud eundem philosophum invenisse ponemus, praesertim cum Posidonius historiae peritissimus fuerit [4]).

His omnibus argumentis perpensis iniuria Schichium statuisse praeter Posidonium (et Caelium poetasque Latinos) etiam Clitomachi, Cratippi [5]), Panaetii, Philisti libros a Cicerone in l. I de divinatione esse consultos mihi persuasum est.

Hartfelderus Posidonii libros quinque *περὶ μαντικῆς* (et Caelii

1) pag. 16 et 21 Cic. I § 39 *ut scriptum apud Philistum est*, § 73 *ut ait Philistus*.
2) Schichius dicit p. 16: „sed dispositio aliqua in sequentibus scil. post § 39 observanda nondum indicatur."
3) § 43.
4) Schäfer, Quellenkunde der R. Gesch. p. 68 (a° 1885). Schmekel, Die Philos. der Mittl. Stoa p. 9 (1892).
5) Cratippi placita Ciceronem iam apud Posidonium legisse explicare conatus sum p. 13.



epitomen et fortasse Philisti historias) fontem libri primi esse opinatur, sed ob aliam causam atque Schichius [1]). Dicit enim Ciceroni, cum Posidonium sequeretur, duos eius libros, sc. *περὶ μαντικῆς* l. V. et *φυσικὸν λόγον*, in deligendo praesto fuisse. Tradit enim Diogenes Laertius [2]): *καὶ αὐτὴν καὶ τέχνην ἀποφαίνουσι διά τινας ἐκβάσεις* (eventa), *ὥς φησι .... Ποσειδώνιος ἐν τῷ δευτέρῳ τοῦ φυσικοῦ λόγου καὶ ἐν τῷ πέμπτῳ περὶ μαντικῆς*. Sed Posidonii librum, qui *φυσικὸς λόγος* inscribitur, Cicero in libris de div. non laudat, quare Hartfelderus libros quinque *περὶ μαντικῆς* fontem primarium Ciceronis fuisse in libro primo censet.

Etsi procul dubio Cicero Posidonii *περὶ μαντικῆς* ll. V noverat [3]), tamen animum inducere nequeo eos imprimis Ciceronem adhibuisse, quia Posidonius in eo opusculo divinationis originem [4]) duxit a deo, a fato, a natura, sed apud Ciceronem omnia de divinatione placita, quae in l. I ante § 125 occurunt, de dis agunt et Posidonii illa divisio sub finem demum libri legitur. Atqui si Cicero iis libris *π. μ.* ab initio usus esset, iam prius illam divisionem eum protulisse exspectandum erat. Accedit quod Cicero in libro secundo de natura deorum, initio et in fine, si Hirzelio [5]) fides habenda est, Posidonii libros *περὶ θεῶν* [6]) adhibuit, unde forsitan aliquis coniciat eosdem in libro primo de divinatione fontem fuisse. Ad hanc quaestionem solvendam comparatio inter librum secundum de n. deor. et librum primum de div. usui esse poterit, in qua instituenda locos in libro secundo de nat. deor. repperi, qui cum locis in l. I de div. mirum in modum convenirent, ut ex uno fonte manasse viderentur. Sed quod multo gravius est, loci illi in l. secundo de nat. deor. nonnisi initio et in fine inveniuntur, ubi Posidonium fontem fuisse satis constat. Contra in reliqua parte libri secundi de n. d., quae non Posidonio debetur (§§ 45—154), unum tantum locum eruere potui, quem cum loco ex libro I de div. conferri liceret (de n. d. II § 69), ubi Alexander Magnus eadem nocte, qua Dianae Ephesiae templum deflagraverit, natus esse dicitur. Sed locus collatus (de div. I 47) talis est, ut Cicero eum ex memoria addidisse videatur: *discedo parumper a somniis, ad quae mox revertar. Qua nocte templum*

1) Cf. Hartf. p. 10.
2) D. L. 7, 149.
3) I, § 6.
4) I, § 125.
5) Hirzelius: „Untersuchungen" p. 197—243. Posidonium fontem esse suspicatur in l. II de nat. deor. §§ 1—45 et §§ 154 sqq.
6) Huius operis l. XIII laudat D. L. 7, 138.

*Ephesiae Dianae deflagravit, eadem constat ex Olympiade natum esse Alexandrum atque ubi lucere coepisset, clamitasse Magos pestem ac perniciem Asiae proxuma nocte natam. haec de Indis et Magis.* § 48. *Redeamus ad somnia.*

Est igitur operae pretium locos illos libri II de n. d. (initio et sub finem obvios) et similes locos libri I de div. inter se componi:

| de n. d. II. | de div. I. |
|---|---|
| § 6. *Saepe Faunorum voces exauditae, saepe visae formae deorum quemvis non aut hebetem aut impium deos praesentis esse confiteri coëgerunt.* | § 81. *Obiciuntur etiam saepe formae quae reapse nullae sunt speciem autem offerunt.* § 117. *quomodo autem aut vates aut somniantes ea videant, quae nusquam etiam tunc sint, magna quaestio est; sed explorata si sint ea, quae ante quaeri debeant, sint haec, quae quaerimus faciliora: continet enim totam hanc quaestionem ea ratio, quae est de natura deorum, quae a te secundo libro est explicata dilucide.* |
| § 7. *Praedictiones vero et praesensiones rerum futurarum quid aliud declarant nisi hominibus ea ostendi, monstrari, portendi, praedici? ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur. quod si ea ficta credimus licentia fabularum Mopsum, Tiresiam, Amphiaraum, Calchantem, Helenum, quos tamen augures ne ipsae quidem fabulae adscivissent, si res omnino repudiaret, ne domesticis quidem exemplis docti numen deorum conprobabimus?* | § 93 in fine: *quorum* (scil. *interpretum*) *quidem vim, ut tu soles dicere, verba ipsa prudenter a maioribus posita declarant: quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, praedicunt, ostenta, portenta, monstra, prodigia dicuntur.* § 87. *Calchantem augurem scribit Homerus longe optumum .... fuisse ....* § 88. *Amphilochus et Mopsus Argivorum reges fuerunt sed idem augures .... atque etiam ante hos Amphiaraüs et Tiresias ..... avibus et signis admoniti futura dicebant ....* § 89. *Asiae rex Priamus nonne et Helenum filium et* |



| de n. d. II. | de div. I. |
|---|---|
| § 12. *At fortasse non omnia eveniunt quae praedicta sunt. Ne aegri quidem quia non convalescunt, idcirco ars nulla medicinae est. Signa ostenduntur a dis rerum futurarum. In his si qui erraverunt, non deorum natura, sed hominum coniectura peccavit. Itaque inter omnis omnium gentium summa constat; omnibus enim innatum est in animo quasi insculptum esse deos.* | *Cassandram filiam divinantis habebat.* § 24. *At nonnumquam ea quae praedicta sunt minus eveniunt. Quae tandem id ars non habet? earum dico artium quae coniectura continentur et sunt opinabiles. An medicina ars non putanda est?* § 11. *cum antiquissimam sententiam tum omnium populorum et gentium consensu conprobatam sequor.* |
| (vide supra § 12 *in his .... peccavit*). | § 118. *male coniecta maleque interpretata falsa sunt non rerum vitio sed interpretum inscientia.* |
| § 17. *quibusdam regionibus atque urbibus contingere videmus hebetiora ut sint hominum ingenia propter caeli pleniorem naturam*[1]. | § 79. *non videmus quam sint varia terrarum genera? ..... sunt partes agrorum aliae pestilentes, aliae salubres, aliae quae acuta ingenia gignant, alia quae retusa; quae omnia fiunt et ex caeli varietate et ex disparili adspiratione terrarum.* |
| § 167. *Nemo igitur vir magnus sine aliquo adflatu divino unquam fuit ....* | § 80. *Negat enim sine furore Democritus quemquam poëtam magnum esse posse, quod idem dicit Plato.* |
| *Magna di curant, parva neglegunt.* | § 118. *Nam non placet Stoïcis singulis iecorum fissis aut avium cantibus interesse deum — neque enim decorum est nec dis dignum nec fieri ullo pacto potest — sed ita a principio inchoatum esse mundum, ut certis rebus certa signa praecurrerent.* |

[1]) Illud iam Chrysippi fuisse placitum docet liber de fato c. 4.

Qui hos locos diligenter perspexerit atque perlustraverit, non dubitabit quin quasi necessitudo quaedam atque vinculum sit inter librum secundum de natura deorum et librum primum de div., neque eum fugiet Ciceronem in scribendo libro I de div. haud immemorem fuisse eius quod in l. II n. d. scripsisset. Ita enim res se habet, ut non solum Cicero libros de divinatione et de fato quasi supplementum libris de natura deorum addiderit, sed Stoicus quoque fons libri secundi de n. d. et libri primi de div. quaestiones de natura deorum, de divinatione, de fato coniunctas continuerit, ut opinor, idque primum quod divinationis veritatem a dis Stoici duxerunt et deos esse vicissim e divinationis veritate concluserunt [1]); deinde quod Posidonius divinationem a deo, a fato, a natura duxit [2]); tum quod in libro secundo de div. in refutanda divinatione etiam fatum refutatur, quod non factum esset, nisi Stoici, contra quos in libro secundo res agitur, ea quoque iunxissent [3]). Si autem verum est Stoicos omnes atque inter eos Posidonium ea iunxisse, nonne hoc in promptu manifestumque est Ciceronem, in libris de nat. deor. iam Posidonii *περὶ θεῶν* adhibentem, hoc eodem opere uti constituisse in libro I de div.? Ita enim explicatur, cur toto libro primo non de divinationis origine a fato et a natura ducenda sermo sit ante § 125. Sed si prioris eiusque maximae partis libri primi Posidonii *π. μαντικῆς* libros fontem fuisse cum Hartfeldero conicias, non liquet, cur Cicero de ea re tamdiu siluerit. Ceterum mihi propositum est, postquam de libro secundo disputavero, inquirere, quonam modo totum opus in Ciceronis mente natum sit; nam hoc pacto aptissime omnia breviter amplecti potero paucaque addere, quae optime intelligentur, si universum librum sub unum conspectum subiciemus. Ergo tum etiam nonnulla de hac re, de qua nunc agimus, proferam (c. II C).

Restat ut Hartfelderi de P h i l i s t o sententiam paucis tangam. Censet [4]) vir doctus Ciceronem ipsius Philisti opus manibus versasse, quod non solum ter [5]) eius historiae laudentur, sed ex epistula ad Quintum fratrem II 13 appareat Tullium ipsum id legisse. Equidem libenter concedo Ciceronem legisse Philistum, neque dubitari potest, quin Platonem legerit, quem interdum affert, quin etiam totum aliquem locum

---

1) cf. I §§ 9 et 10 *„ego enim sic existimo si sint ea genera divinandi vera de quibus accepimus quaeque colimus, esse deos, vicissimque si di sint, esse qui divinent."*
2) I, § 125.
3) II, § 19.
4) p. 13.
5) §§ 39, 73.



e Platone Latine expressit [1]). Nec tamen Hartfelderus negat Platonis sententiam iam a Posidonio esse relatam et inde a Cicerone haustam. Quid igitur sit, cur Philisti exempla historica potius quam alia exempla apud rerum scriptorem investigaverit Tullius, non video: Posidonium enim, si alia exhibuit, haec quoque exhibuisse existimandum est.

M a a s s i u s [2]) miratus est, quod Hartfelderus nil dixisset de Boëtho, qui tamen Ciceronis fons esse videretur I c. 7 § 13 II c. 70 § 145. Sed Boethum non constat a Cicerone esse alibi adhibitum, Posidonium constat, quare si I § 13 sermo est de rebus „*quae in mari caelove fierent*," non potius Boetho quam Posidonio haec debere Tullius videtur, nam uterque de hac re scripsit (cf. II c. 20 § 47). Eodem modo nulla causa est cur II § 145 Boetho potius quam Clitomacho tribuamus, quia Clitomachus (ut postea videbimus) fons primarius libri secundi est neque Boethus alibi in l. II, quod sciam, fons est.

H o y e r i [3]) sententiam de duobus libris simul promulgatam iam nunc tractare tempus est. Dispositonem, quam ille Antiocho tribuit apud Ciceronem II § 9 sqq. Carneadis esse legimus, neque illa valet nisi de hac secundi libri parte. Quare non mirandum est eas quattuor partes A—D non omnes in l. I inveniri et, ut H. perhibet (p. 57), C et D abesse. Neque verum est Ciceronem I § 52 de philosophia agere incipere (de parte C): nam somnia philosophorum ibi narrantur, de quibus iam supra (p. 22) dixi. Neque intellego quae similitudo inter partem D et I § 95 sit. Hoc enim loco nonnulla divinationis genera in optuma quaque re publica (id est civitate) valuisse dicuntur, sed in libro secundo nullus locus divinationi esse narratur, ubi de re publica (i. e. de arte politica) res est. Vocabulorum similitudine fortasse vir doctus erravit. Nec Hoyero concedo I § 111 Ciceronem contra divinationem verba facere: immo vero, ibi mutatam de divinatione opinionem profert nempe divinationem artificosam et naturalem sine deorum impetu esse posse. In ea parte huius opusculi, quae de toto Tulliano opere agit, locus erit ut haec fusius tractemus. Sed ad Hoyeri opinionem refutandam semel locum inspicere opus est atque sufficit. Deinde si Hoyerus I § 127 ad Antiochum refert, in eo errat. Nomen enim Posidonii paulo ante occurrit, Antiochi nusquam in utroque libro. Neque apparet cur non Posidonius explicare conatus sit, quomodo fatum et divinatio coniuncta sint.

---

1) §§ 60, 61.
2 Philol. Untersuchungen herausgegeben von Kiessling und Wilamowitz-Moellendorf p. 156 (a° 1892).
3) Cf. p. 7.

Hoyerus (p. 61) promulgavit hanc quoque sententiam in II § 120 vinculum inter id quod Cicero ponat et exempla eius deesse[1]). Equidem non perspicio, quid desideretur neque mihi videtur opus esse confugere ad Platonis illud λογιστικόν, ut res explicetur, sed hoc Cicero significat animos in somno falli, ut nonnumquam sensus nostros vigilantium. Nullum praeterea exstat indicium, cur II §§ 139 et 140 Antiochi verba esse credamus (p. 62), neque patet praeter illam quattuor partium divisionem (II 9), etiam si re vera in l. I inveniretur (quod nego), etiam aliam ab Antiocho esse profectam, qua divinatio artificiosa et naturalis distinguerentur.

Explodatur igitur coniectura Hoyeri et de libro secundo disputare incipiamus.

### *B.* DE LIBRO SECUNDO.

Cum breve argumentum huius libri iam supra (p. 7) dederimus, nunc statim ad locos percensendos transeamus, ubi Cicero fontes suos ipse laudat.

**§ 6.** Index locorum, ubi in l. II Cicero ipse fontes suos laudat.

Lib. II. 3, 8. *Stoice Stoicorum sententiam defendisti.*

3, 9. *quod in primis Carneades quaerere solebat, quarumnam rerum divinatio esset, earumne quae sensibus perciperentur.*

7, 19. *sed tamen apud Stoicos de isto fato multa dicuntur.*

10, 25. *hoc sentit Homerus, cum querentem Iovem inducit.*

ibid. *hoc idem significat Graecus ille versus.*

13, 30. *Democritus tamen non inscite nugatur, ut physicus, quo genere nihil arrogantius . . . verum is tamen habitu extorum et colore declarari censet haec dumtaxat.*

13, 31. *Pherecydeum illud, quod est dictum a te.*

13, 32. *Verum sint sane ista Democritea vera.*

14, 33. *multa enim Stoici colligunt.*

15, 35. *pudet me.... Chrysippi Antipatri Posidonii, qui idem istuc quidem dicunt, quod est dictum a te, ad hostiam deligendam ducem esse vim quandam sentientem atque divinam quae toto confusa mundo sit.*

17, 39. *doleo tantam Stoicos nostros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse.*

---

1) „Zwischen der Behauptung und den Beispielen fehlt hier die Verbindung."



19, 44. *placet enim Stoicis eos anhelitus terrae, qui frigidi sint, cum fluere coeperint, ventos esse.*

21, 47. *prognosticorum causas persecuti sunt et Boëthus Stoicus qui est a te nominatus et noster etiam Posidonius.*

21, 48. *idem Carneadem fingere dicis de capite Panisci.*

23, 50. *is autem Tages ut in libris est Etruscorum cet.*

23, 51. *num ergo opus est ad haec refellenda Carneade? num Epicuro?*

25, 54. *multa me consule a me ipso scripta recitasti multa ante Marsicum bellum a Sisenna collecta attulisti, multa . . . a Callisthene commemorata dixisti.*

26, 57. *Democritus quidem optumis verbis causam explicat, cur ante lucem galli canant.*

ibid. *silentio noctis, ut ait Ennius.*

28, 61. *quorum omnium causas si a Chrysippo quaeram, ipse ille divinationis auctor* cet.

29, 62. *Gaius Gracchus ad M. Pomponium scripsit.*

29, 63. *ut nos otiosi convertimus.*

36, 76. *solebat ex me Deiotarus percontari.*

41, 87. *Quod Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum nusquam se fortunatiorem quam Praeneste vidisse Fortunam.*

42, 87. *Eudoxus Platonis auditor . . . sic opinatur, id quod scriptum reliquit, Chaldaeis minime esse credendum.*

42, 88. *nominat etiam Panaetius qui unus e Stoicis astrologorum praedicta reiecit.*

42, 88. *Scylax Halicarnassius, familiaris Panaetii.... totum hoc Chaldaïcum praedicendi genus repudiavit.*

43, 90. *quibus etiam Diogenes Stoicus concedit aliquid.*

43, 91. *ut ego id ipsum, quod vir optimus, Diogenes, Chaldaeis.... concedit, nego posse intellegi.*

46, 96. *ut Demosthenem scribit Phalereus, cum rho dicere nequiret....*

47, 97. *videsne me non ea dicere quae Carneades, sed ea quae princeps Stoicorum Panaetius dixerit?*

48, 100. *haec me Peripateticorum ratio magis movebat et veteris Dicaearchi et eius qui nunc floret Cratippi, qui censent esse in mentibus hominum tamquam oraclum aliquod.*

49, 101. *dicam igitur de istis ipsis duobus generibus mihi quid videatur, si prius, et Stoicorum conclusio rationis et*

*Cratippi nostri quid valeat, videro; dixisti enim et Chrysippum et Diogenem et Antipatrum concludere hoc modo.*

50, 103. *videsne Epicurum* cet.

50, 104. *an noster Ennius?*

51, 105. *magnus Dicaearchi liber est nescire ea melius esse quam scire.*

52, 107. *veniamus nunc ad Cratippum.*

56, 115. *tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut opinor, partim casu veris.*

58, 119. *contrahi autem animum Zeno et quasi labi putat atque considere id ipsum esse dormire.*

ibid. *Pythagoras et Plato .... proficisci ad dormiendum iubent.*

58, 119. *faba quidem Pythagorei utique abstinere.*

58, 120. *ut Democritus censet.*

61, 126. *praesertim cum Chrysippus Academicos refellens permulto clariora et certiora esse ducat* cet.

62, 127. *aliquot somnia vera, inquit Ennius.*

62, 128. *ex reliquiis, ut ait Aristoteles, inhaerentibus earum rerum.*

63, 130. *Chrysippus quidem divinationem definit his verbis: vim cognoscentem et videntem et explicantem signa, quae a dis hominibus portendantur.*

65, 134. *est hoc in Chrysippi libro somnium.*

67, 137. *speciem, credo, eius et imaginem, ut Democrito videtur.*

70, 144. *post idem ad Antiphontem, atque horum somniorum et talium plenus est Chrysippi liber, plenus Antipatri.*

72, 150. *quorum licentiae nisi Carneades restitisset.*

**§ 7.** De fontibus a Cicerone in l. II laudatis.

Ubi in libro secundo Tullius contra divinationem verba facit, non Stoicum ibi fontem primarium fuisse iam inde conicias, quod praeter Panaetium, qui partim divinationem reiecit, omnes Stoici eam coluerunt veramque esse senserunt, sicut ex Ciceronis praefatione libri primi §§ 5—7 apparet. Et reapse nullus locus supra descriptus Stoicum fontem prodit, si §§ 88—97 excipiuntur. Chrysippus quidem saepissime commemoratur [1]), sed semper ab alio

[1]) II, §§ 35, 61, 101, 115, 116, 126, 130, 134, 144.



philosopho eius placita ad Ciceronem pervenisse aut verisimile est aut constat. Philosophus ille Chrysippi de oraculis et de somniis libros novisse eiusque opiniones refutasse videtur, nam nihil nisi eiusmodi exempla, quae inde hausta videntur locis laudatis invenimus. In quibus ter nomen Antipatri [1]), cum Chrysippi nomine coniunctum, legitur atque ita ut eius sententiam cum Chrysippo convenisse statuere liceat; sin minus, Chrysippi et Antipatri opinionum discrepantiam Cicero non praeterisset. Sed hoc saltem ex illis locis, ubi amborum auctoritas affertur, colligitur fontem primarium libri secundi vixisse post Antipatrum. Quare vix opus est Diogenis mentionem facere, qui ante Antipatrum vixit et praeterea nonnisi bis [2]) commemoratur et eo pacto ut a Cicerone eius scriptum aliquod adhibitum esse non videatur. Sed Panaetius quem divinationis partem reiecisse iam monui, procul dubio §§ 87*b*—97*b* Ciceronis fons fuit, nam primum ipse Tullius eum se sequi profitetur [3]), deinde (§ 88) Scylax Halicarnassius tamquam familiaris eius nomine laudatur et quis nisi ipse Panaetius hanc familiaritatem attingat? Accedit (quod quidem per se leve est, sed ceterorum argumentorum quasi adiumentum non neglegendum), quod in hac libri secundi parte multa de caelo dicuntur Panaetiumque rebus caelestibus studuisse apertum est e libro primo de republica § 15 [4]). Cur potius Panaetii quam alterius scriptum in rebus Chaldaicis adhibuerit Cicero, postea explicare conabor. (p. 41).

Epicuri autem Epicureorumque libros quoniam nemo fere in manus sumpsit Ciceronis temporibus [5]), nunc ad Dicaearchum et Cratippum transire nobis licet. Ille non laudatur nisi § 100 una cum Cratippo atque eo modo, ut *veteris Dicaerchi* librum non adhibitum esse pateat. Potius Cratippi librum usurpatum arbitreris, atque § 105 re vera, de quibus rebus in eo actum sit, exponitur, sed non necesse est credere Ciceronem ipsum opus illud consuluisse. Cratippum fontem esse in §§ 100 sqq. primo obtutu crediderit quis, sed si hoc damus, etiam Ciceronem suo Marte inter se comparasse hoc loco Cratippi Epicurique opiniones putandum est, quod, ut supra demonstravimus, haud probabile est. Deinde cur Epicurum hic disputantem faciat Tullius qui Epicurum neglegit? Sine dubio

[1]) §§ 35, 101, 144.

[2]) §§ 90, 101.

[3]) § 97.

[4]) *quam vellem Panaetium nostrum nobiscum haberemus, qui cum cetera tum haec caelestia vel studiosissime solet quaerere.*

[5]) Cic. Tusc. II § 8. — Epicuri nomen quidem invenimus de div. II §§ 40, 51, 59, 103, 104, 116.

Epicurea e fonte non Epicureo manaverunt. Praeterea iam in libro primo Cratippi sententiam e Posidonio sumpsit Cicero (vide p. 13). Itaque fieri potest, ut eam hic repetiverit et cum Epicuri placitis ex alio fonte haustis comparaverit. Sed ipse Cratippi liber non fons existimandus est.

Videamus igitur Academicorum nomina locosque ubi ea occurrunt. Carneades, qui saepius nominatim vocatur, scripta non reliquit praeter epistulas, quae num genuinae sint dubitatur[1]). Nec tamen infitias ire possumus ex eius philosophi studiis ea, quae libro secundo contra divinationem dicantur, manasse: nam primum §§ 8—26 continent plenam atque integram de omni divinatione disputationem, quam Cicero ipse ad Carneadem refert[2]). Praeterea in reliqua parte post singulorum generum divinationis enumerationem re vera singula genera tractantur, exceptum tamen est Chaldaeorum genus in enumeratione § 26, de quo postea e Panaetio nonnulla, ut monui, proferuntur. Ceterum omnia recte procedunt et uno consilio unaque ratione composita sunt, ordo vero generum, qui in enumeratione §§ 26, 27 praemittitur, cum ipsa argumenti pertractatione (§§ 28 usque ad finem) optime congruit: unus igitur est fons. Qui fons ille sit non dubium est. Ciceronis verba (§ 97) *videsne me non ea dicere quae Carneades sed ea quae princeps Stoicorum Panaetius dixerit?* significant ea, quae non Panaetio debentur, re vera e Carneadis doctrina esse hausta. Carneadis de capite Panisci dictum contra Stoicos defenditur (§ 48), eiusdemque ioculum de Praenestina Fortuna Clitomachi[3]) auctoritate narrat (§ 87).

Inter discipulos Carneadis quaeramus, quinam fons Ciceronis fuerit. Nemo autem eorum laudatur nisi Clitomachus idque semel (§ 87). Sed accedunt alia argumenta, cur Clitomachus Academicus Carthagine natus fons primarius libri secundi putandus sit. Nam ante Posidonium illum auctorem vixisse necesse est, cum definitionis, quam Posidonius de divinatione praebuit *de divinatione quae est earum rerum quae fortuitae putantur, praedictio atque praesensio* (I § 9), ratio non habeatur in libro secundo (§ 13). Praeterea nomen Poenorum philosophum Carthaginiensem prodit[4]) et §§ 126, 130, 134, 144, 145 Stoicorum de somniis placita ita refutantur, ut Chrysippus et Antipater laudentur, non Posidonius. Postremo Chrysippus (et Antipater)

---

1) Zeller III, 1, 499.
2) § 9: *quod imprimis Carneades quaerere solebat.*
3) § 87: *quod Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum.*
4) § 28: vide Schichium p. 31—34, 41.



vim divinam a coniectura et observatione distinxit, ubi de somniis ageret: *aut enim divina vis quaedam consulens nobis somniorum significationes facit, aut coniectores . . . ., aut eorum neutrum est, sed quaedam observatio constans atque diuturna est* (II § 124), sed Posidonius omnem divinationem, èt naturalem èt artificiosam, cum deorum impetu et sine eo esse posse censuit, atque in divinationis coniecturis deorum vim non semper abesse sentiebat[1]), aliter ac Chrysippus, sed Posidonii sententia hic quoque neglegitur, ubi de somniis sermo est (II §§ 124 sqq.). Si Clitomachum solum a Cicerone adhibitum esse credimus, etiam apparet cur alius Carneadis discipulus ne nomine quidem afferatur; quare Clitomachum et Panaetium in libro secundo fontes fuisse apparet.

Quod autem attinet ad veteres illos philosophos, quorum nomina etiam in libro secundo sunt obvia, non multis verbis opus est ut explicemus non eorum opera Ciceronem adhibuisse. Omnino enim eadem nunc valent quae de hac quaestione dicta sunt ad librum primum. Quis vero credat Democriti opus Tullio ad manum fuisse, quis Pherecydis, quis Eudoxi Aristotelisve, ne loquar de Pythagora? Nec historicorum et poetarum exempla non per Clitomachum ad Ciceronem pervenerunt. Chrysippi enim, qui exemplis orationem ornavit, a Clitomacho placita refutantur, nec mirum exempla quoque ab eodem referri; exempla enim et refutatio tam arte iuncta sunt ut non ab uno fonte manare nequeant. Quod ibi apertissimum est ubi Cicero addit: *est hoc in Chrysippi libro somnium*, vel *horum somniorum et talium plenus est Chrysippi liber*, *plenus Antipatri.* Idem locus eodem modo rem de Antipatro se habere docet. Sed haec non nimis urgenda sunt, nam si Homeri versus a se conversos ipse Cicero testatur, ubi fabulam Calchantis e passerum numero augurantis tradit, prorsus non est cur non credamus hoc eum re vera fecisse. Vertit enim et alia et Arati prognostica. Sed haec minus ad rem; nunc transeamus ad virorum doctorum, quibus in hac re adstipulari non queo, sententias.

## § 8. De virorum doctorum sententiis.

Schichius non solum Clitomachum et Panaetium fontes fuisse statuit, sed addidit[2]) librum secundum praeter praefationem e tribus partibus constare sc. ex I[a] c. 3—10 universae divinationis refutatione, II[a] c. 12—40 reiectione singulorum divinationis artifisiosae generum, III[a] c. 54—72 divinationis naturalis refutatione, itaque c. 12—72 or-

---

1) 1, § 109.
2) p. 42, 43.

dinem, c. 11 praemissum, esse servatum. Id quidem ei assentiri non possum neque Clitomachum scripsisse tres libros de divinatione, qui singuli cum ternis partibus supra indicatis convenirent.

Primum enim non constat Clitomachum librum singularem de hac re scripsisse, nedum e tribus compositum partibus, deinde non est cur Ciceronis opus in partes tres potius quam plures dividamus, quia nulla divisio certa apparet. Sed demus hoc, tamen Schichius sibi non constat. Legimus apud eum [1]) ,,Eorum vero quae sequuntur c. 38 et 39, summam esse auctoris Graeci ex his apparet: § 80 Ciceronis haec sunt verba: *illud erat philosophi potius, totius augurii primum naturam ipsam videre, deinde inventionem, deinde constantiam.* Hunc ordinem in sequentibus servat. Quis autem non videt ita factum esse ut de eadem re bis diversis locis ageretur? De constantia enim augurii § 82 Cicero ita loquitur ut demonstret apud alios populos alia esse auguria atque idem iam § 76 dixerat. Causa huius rei in eo tantum posita esse potest, quod cum partitione illa non mutata explicationis quoque ad eam pertinentis summam Cicero ex libro Graeco sumpsit, cum quae illi antecedunt suo Marte exposuisset.'' Concedo illud ,,*naturam* ..... *inventionem* ..... *constantiam*'' fonti deberi. Inde vero sequitur ex eodem fonte manare initium § 85 *videamus clarissimarum sortium quae tradatur inventio;* adde quod § 87 Clitomachi nomen expressum est. Tamen hanc partem de sortibus non apud fontem fuisse censet Schichius. Curnam quaeris? Quod ,,inter se parum congruant'' ea quae hac parte dicit Cicero; ,,dicit enim, in volgus tantum tunc Praenestinorum sortium nomen retineri; ceteris vero in locis sortes plane refrixisse atque id censuisse etiam Carneadem dicentem, nusquam se fortunatiorem quam Praeneste vidisse fortunam.''

Nil inesse video quod parum congruat. Equidem non recuso quin credam totam illam de sortibus partem e Clitomachi libro fluxisse. Sed si Schichius id dedisset, hoc quoque refutaretur in c. 11 ordinem fontis praeberi: ibi enim sortes desunt. Multo probabilius est Ciceronem in capite 11 memoriter repetivisse, quae libro primo disseruisset. Clitomachus de sortibus quoque locutus est, neque est cur e verbis *sed hoc quidem genus divinationis vita iam communis explosit* efficiamus non solum Ciceronem, sed Clitomachum quoque breviter de sortibus egisse. Ceterum in iis verbis quae supra e

---

1) p. 37.



Schichii dissertatione laudavi, illud maxime offendit ,,hunc ordinem in sequentibus servat;'' id enim non verum est: *naturam* et *inventionem* et *constantiam* in sequentibus frustra quaesivi, in iis quae antecedunt hic illic huius ordinis vestigia inveni, unde sequitur ibi Ciceronem eundem Clitomachi librum excerpsisse; vestigia dico haec: §§ 33—38 de extorum natura, §§ 28—33 de extorum inventione (*sunt igitur*, inquit Cicero, *artis inventa*), §§ 38—42 de constantia extorum divinationis (*quae autem inconstantia deorum est*), §§ 44— c. 20 de fulgurum natura, c. 23 de ostentorum inventione, § 80 ipsum ordinem continet, ut supra dixi, § 81 de auspiciorum constantia, § 86 de sortium natura, § 85 de sortium inventione, §§ 86, 87 de inconstantia sortium. Ex hac recensione Ciceronem interdum ordinem mutasse patet neque certo secerni possunt ea quae ex ipsius memoria vel ingenio prodierint ab iis quae fonti debeantur. Quare haec res non urgenda est: id vero multo pluris momenti est in sequentibus ordinem illum deesse, quod miro modo fugit v. d. Schichium. Postremum in libro tertio de nat. deorum, ubi Clitomachum fontem esse ostendit Hirzelius [1]), legimus [2]) *tum Balbus ,,equidem attulisse rationes mihi videor, sed eas tu ita refellis, ut cum me interrogaturus esse videare et ego me ad respondendum compararim, repente avertas orationem nec des respondendi locum. Itaque maximae res tacitae praeterierunt, de divinatione, de fato, quibus de quaestionibus tu quidem strictim, nostri autem multa solent dicere, sed ab hac ea quaestione quae nunc in manibus est separantur.* Cum hoc loco Academicus simul de natura deorum et de divinatione et de fato promiscue agere dicatur, et in libro tertio de nat. deorum et in libro secundo de divinatione Clitomachus fons sit, et in libro secundo de div. re vera etiam de fato sermo sit, suspicio non abest quin eodem Clitomachi opere Cicero usus sit in utroque libro, quae suspicio confirmatur comparando nonnullos e l. III de nat. deor. et e l. II de div. locos:

| de n. d. III | de div. II |
|---|---|
| § 14. *saepe autem ne utile quidem est scire quid futurum sit.* | § 22. *atque ego ne utilem quidem arbitror esse nobis futurarum rerum scientiam.* |
| *quis invenit fissum iecoris?* | § 32. *fissum familiare et vitale* (*hostile*, Hottinger) *tractant.* |

---

1) Untersuchungen I, p. 243.
2) de nat. deor. III, § 19.

| | |
|---|---|
| | § 34. *qua ex coniunctione naturae et quasi concentu atque consensu ..... convenire potest aut fissum iecoris cum lucello meo?* |
| *quis ⟨invenit⟩ sortes?* | § 85. *dicendum igitur putas de sortibus?* |
| § 15. *At medici quoque — ita enim dicebas — saepe falluntur. Quid simile medicina cuius ego rationem video, et divinatio, quae unde oriatur non intellego?* | § 12. *aut morbi naturam ⟨vates⟩ acutius quam medicus ..... adsequetur?*<br>§ 13. *num igitur aut haruspex aut augur aut vates quis aut somnians melius coniecerit, aut e morbo evasurum aegrotum ..... quam medicus?*<br>§ 16. *medicus morbum ingravescentem ratione providet.* |

Hanc ob rem non modo Schichio non concedo Clitomachum librum singularem de divinatione scripsisse sed, si licet de hac quaestione coniectura aliquid assequi, malim putare Academicum illum eodem libro egisse èt de natura deorum èt de divinatione. Neque temere dictum videbitur, si adiungemus eodem quoque libro sermonem fuisse de fato, sed de hac re in consequenti paragrapho loquar.

Hartfelderus cum Schichio Clitomachum Panaetiumque fontes in libro secundo fuisse censens non talem de Clitomachi opere coniecturam addidit. Sed iure animadvertit Schichium errare, cum Clitomachum de Chaldaeis non disputasse contendat[1]), quod Eudoxum iam de Chaldaeis egisse dicat Cicero (II 87). Nam non est cur Chaldaeorum artis omnino inscium fuisse Clitomachum opinemur, quippe qui post Eudoxum vixerit. Sed magnopere mirandum est virum doctum non quaestionem posuisse, cur Cicero in rebus Chaldaicis Panaetii librum aliquem potius quam Clitomachum adhibuerit. Id praesertim ei faciendum erat, qui data opera demonstravit Clitomachum de his rebus egisse. Sed de hac re mox verba faciam.

Hoyeri sententiam denuo attingere opus non est, quod cum eo iam supra (p. 29) manus conserui de libro primo agens, quem ille una cum secundo tractavit. Antiocho autem vindicat[2]) II §§ 119,

---

1) Schichius p. 13, 14.
2) Hoyerus p. 61, 62, 47.



139, 140 nulla causa addita. At argumentis hoc probandum erat; ipse enim Hoyerus Antiochi et Posidonii doctrinam et placita ita coniuncta esse censet, ut fere eadem sint. Denique si addidero virum doctum opinari[1]) II § 146*b* ,,observationem diuturnam'' tractari, quae § 70 iam peracta sit, neque animadvertisse II 70 de totius divinationis observatione, II 146*b* de somniorum observatione sermonem esse, iure hanc sententiam Hoyeri missam facere me posse confidam.

### *C.* DE COMPOSITIONE TOTIUS OPERIS TULLIANI.

Nunc quoniam de utriusque libri fontibus egimus, e re erit quaedam tractare, quae supra reliquimus, ne ordo disputationis disturbaretur, quaeque melius intellegentur, si totum opus uno conspectu percensebimus.

Non dubium est, quin Ciceroni iam de natura deorum scribenti in animo fuerit de divinatione et de fato singillatim disserere: id enim patet e praefatione libri secundi[2]) et e locorum comparatione quam supra instituimus[3]), quamquam consilium illud in libello de fato paulum mutavit[4]). Iam supra Ciceronem èt in libro secundo de natura deorum (initio et fine) èt in libro primo de divinatione Posidonii περὶ θεῶν adhibuisse demonstravimus. Neque mirandum est Ciceronem, cum illud opus iam prius excerpsisset, denuo eo usum esse in libro primo de divinatione, quia divinationis ratio deorum natura contineatur[5]). Reliquum est ut quaeramus, curnam Posidonius aliam rationem divinationis promulgaverit quam Chrysippus et Antipater. Nam Chrysippus nondum, quod sciamus, tam subtiliter rationem humanam et divinationem discrevit quam Posidonius, qui artificiosam ,,praesensionem'' naturalemque cum impetu deorum et sine eo esse posse existimavit, ut ipse Cicero testatur

---

1) p. 62.
2) *quibus editis tres libri perfecti sunt de natura deorum, in quibus omnis eius loci quaestio continetur; quae ut plane esset cumulateque perfecta, de divinatione ingressi sumus his libris scribere quibus ut est in animo, de fato si adiunxerimus, erit abunde satisfactum toti huic quaestioni*, de div. II § 3.
3) vid. p. 37.
4) *quod autem in iis libris feci qui sunt de natura deorum, itemque in iis quos de divinatione edidi, ut in utramque partem perpetua explicaretur oratio, quo facilius id a quoque probaretur, quod cuique maxime probabile videretur, id in hac disputatione de fato casus quidam ne facerem impedivit.* de fato § 1.
5) cf. de div. I, § 117: *continet enim totam hanc quaestionem ea ratio, quae est de natura deorum, quae a te secundo libro est explicata dilucide.*

I § 109: *quae* (scil. artificiosa praesensio) *potest esse etiam sine motu atque impulsu deorum, cum, quid ex quoque eveniat et quid quamque rem significet, crebra animadversione perspectum est*, et § 111: *rarum est quoddam genus eorum qui se a corpore avocent et ad divinarum rerum cognitionem cura omni studioque rapiantur. Horum sunt auguria non divini impetus sed rationis humanae.* cf. § 112: *multa medici, multa gubernatores, agricolae etiam multa praesentiunt, sed nullam eorum divinationem voco.*

*Res divinae*, quae in § 111 significantur, nimirum *res quae fortuitae esse putantur* sunt, quarum praesensio est (cf. I § 9). Posidonio igitur erat persuasum has res divinas (seu in artificiosa seu in naturali divinatione) ab hominibus cognosci posse cum deorum motu atque impulsu et sine eo. Verum si deorum impulsus abesset, non divinationem appellandam esse, sed ad rationem modo humanam pertinere. Quaeritur, quam ob causam haec duo tam subtiliter distinxerit: nam, dicat quis, quid ratio ad nos pertinet, si tota res impulsu deorum nititur; sin ratio sufficit, cur non potius deorum impetus tollitur e doctrina divinationis?

*Chrysippus quidem*, inquit Cicero II § 130, *divinationem definit his verbis: vim cognoscentem et videntem et explicantem signa quae a dis hominibus portendantur; officium autem eius praenoscere dei erga homines mente qua sint quidque significent, quem ad modumque ea procurentur atque expientur.* In hac definitione impetus divinus et ratio humana non discernuntur. Neque Antipater a Chrysippo discrepuisse videtur; sin minus, procul dubio Clitomachus (cumque eo Cicero) mentionem fecisset huius discrepantiae et eius vestigia in libro secundo non abessent. Sed Clitomachus disputans contra Chrysippum et Antipatrum, divinationis defensores, praesertim rogavit, quinam esset ,,locus ac materia'' divinationis (II §§ 8—15) et quae esset eius ,,ratio'' (II §§ 15—22). Ergo si quis post Clitomachi illam insectationem etiamtum divinationem defendere cupiebat, ,,materiam'' et ,,rationem'' divinationis afferre debebat atque id Posidonius fecit. Is enim posuit ,,locum'' ac ,,materiam'' *res quae fortuitae esse putantur* (I § 9), cum in singulis artibus nil forte agi vulgo putaretur (II § 16). Hoc modo mutata erat definitio divinationis, quam Clitomachus novissimam Stoicorum sui temporis esse duxit: *divinationem esse earum rerum praedictionem et praesensionem, quae essent fortuitae*, quam Antipatri definitionem esse iure putat Hartfelderus [1]). Clitomachum offendebat

[1]) p. 19, 20.



vox ea *fortuitae* et scite dixit res fortuitas non convenire cum Stoicorum de fato doctrina qui omnia fato fieri vellent. Sed non solum ,,locus'' ac ,,materia'' monstranda erant; restabat, ut ,,ratio'' quoque indicaretur. Ex hac difficultate miro modo se expedivit Posidonius. Dixit èt in ceteris artibus èt in divinatione eodem modo ,,rationem'' valere (cf. 1 § 24), sed veterum Stoicorum vestigia secutus, impetum deorum adesse oportere, ut exsisteret ,,divinatio.'' Qui res divinas tractarent ,,ratione'', postquam a corpore se avocavissent, non divinos vocandos esse, sed eodem modo agere atque medicos gubernatores aliosque (cf. I § 111). Hoc non solum in naturali divinatione valere, sed etiam artificiosam sine impetu deorum esse posse. Perspicuum igitur est in hac defensione veterum Stoicorum placita posse retineri Clitomachique argumenta refutari. Plura de hac re cognoscere poteramus, si totus superesset liber de fato, nam quae in lacuna capitis secundi s. f. perierunt, Posidonii placita de fato continebant. Nomen eius saltem initio capitis tertii legitur et c. 4 ita incipit, ut plura abesse Posidonii argumenta suspiceris.

Postremo nobis explicandum est cur in mediis Clitomacheis Cicero (de div. II 87) de Chaldaeis agens Panaetium secutus sit. Haec quaestio cum libro de fato cohaerere videtur, quem Cicero iam animo conceperat de divinatione scribens. Itaque non omnia, quae Clitomachus [1]) Stoicorum de fato δόγμα impugnans ei praebebat, iam cum divinationem exponeret, Cicero usurpare cupiebat, sed quaedam de Chaldaeis ad librum singularem de fato reservabat et malebat in his enarrandis alium (Panaetium) sibi exemplo esse. Paenaetius enim fatum non reiciebat (erat enim Stoicus totaque Stoicorum doctrina cum fato arte coniuncta est) sed Chaldaeorum placita spernebat.

[1]) Schmekel: die Philos. der Mittl. Stoa p. 155 sqq. Clitomachum in libro de fato Ciceronis fontem primarium esse ostendit. Schoemann in editione librorum III de natura deor. p. 18. Clitomachum etiam fontem l. III eius operis fuisse perhibet.

# CAPUT TERTIUM.

annotationes criticas et exegeticas continens.

In annotatonibus criticis imprimis contuli lectiones codicum Leidensium Vossianorum n. 84 (A) et n. 86 (B), Vindobonensis n. 189 (V), Heinsiani item Leidensis (H): quarum lectionum gravissimae in praefationibus Baiteri et Mülleri leguntur.

Ad librum primum.

c. 1 § 1: *huic praestantissimae rei nomen nostri a divis, Graeci, ut Plato interpretatur, a furore duxerunt.* — cf. Plat. Phaedr. XXII (p. 244A): *νῦν δὲ τὰ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν ἡμῖν γίγνεται διὰ μανίας, θείᾳ μέντοι δόσει διδομένης . . . . οὐ γὰρ ἂν τῇ καλλίστῃ τέχνῃ, ᾗ τὸ μέλλον κρίνεται, αὐτὸ τοῦτο ὄνομα ἐμπλέκοντες μανικὴν ἐκάλεσαν· ἀλλ᾽ ὡς καλοῦ ὄντος, ὅταν θείᾳ μοίρᾳ γίγνηται, οὕτω νομίσαντες ἔθεντο, οἱ δὲ νῦν ἀπειροκάλως τὸ ταῦ ἐπεμβάλλοντες μαντικὴν ἐκάλεσαν.*

1, 2: *traiectiones stellarum* — aut stellae volitantes aut vagantes significantur. Moserus de vagantibus sermonem esse censet, quod Chaldaei non volitantes stellas, sed potius cursum vagantium observent (coll. I 19, 36 ubi de siderum cursu et motu sermo est). Sed Lydus de Ostentis c. 4: *πολλάκις δὲ,* inquit, *καὶ διάπυρος ἀστὴρ . . . . διατρέχει τῶν Παρθυαίων ἔφοδον μαντευόμενος* et in consequentibus: *καὶ εἰ μὲν ἐξ ἄρκτου διᾴττων ἐκτρέχει αὔλακάς τε πυρὸς ἐπὶ τὸν ἀέρα ποιεῖ,* ibid c. 20: *εἰ δὲ διᾴττῃ ἀστὴρ, φθορὰν σίτου καὶ ἀνθρώπων ἀπειλεῖ, ὅταν μέντοι ἀπὸ ἀνατολῶν εἰς δυσμὰς ἐκτρέχῃ.* Ex his Lydi locis efficias potius de cometis esse cogitandum, cum explicatio artis Chaldaeorum quam apud Cic. de div. II 42, 89 legimus litem non dirimat. Ibi *traiectio* non occurrit et stellae quidem errantes sive planetae ad nascentium fata pertinere dicuntur, sed de cometis non sermo est. Quare adhuc incertum est, quid Cicero significet.

1, 2: *Chaldaei non ex artis sed ex gentis vocabulo nominati* — cf. Strabo XVI 1, 6 p. 739 B: *ἔστι δὲ καὶ φῦλόν τι τῶν Χαλδαίων καὶ χώρα τῆς Βαβυλωνίας ὑπ᾽ ἐκείνων οἰκουμένη.*



2, 3: *impetriendis rebus* — quid velit, docet Val. Max. I 1, 1: „prisco instituto rebus divinis opera datur, cum aliquid commendandum est, precatione; cum exposcendum est, voto; cum solvendum, gratulatione; cum exquirendum vel extis vel sortibus, impetrito; cum sollemni ritu peragendum, sacrificio;" et Plautus Asin. vs 259 „impetritumst, inauguratumst: quovis admittunt aves." Patet igitur idem esse ac litando impetrare (cf. Thurneysen, K. Z. XXX 492, qui putat hoc verbum cum verbo „petendi" cohaerere et ortum esse ex forma *impetire).

2, 4: *Octaviano bello* — sc. a Cn. Octavio consule gesto anno 87 a. C. n. (de nat. deor. II 5, 14; Plin. n. h. II § 92; Liv. epit. 79) qui a Sullae partibus stetit contra Marium et Cinnam et interiit, cum Sulla in Asia versaretur belli Mithridatici causa.

ibid: *Corn. Culleoli.* — de hoc Corn. Culleolo nihil constat.

2, 4: *L. Iulius P. Rutilius* consules fuerunt a° 90 a. C. n. L. Iulius Caesar legem tulit Iuliam de civitate sociorum, ut a perfidis socios secerneret fidos, quibus civitas daretur. P. Rutilius Lupus clade accepta pugnans cecidit contra Vettium Catonem. Vide Paully s. v. qui locos affert.

2, 4: *Caecilia* Metella filia fuit Metelli eius, qui anno 123 a. C. n. devictis insulis Balearibus Balearicus vocabatur; cf. Flor. III 8.

3, 5: *Xenophanes unus qui deos esse diceret, divinationem funditus sustulit* — Hartfelderus conicit *unum qui deum esse diceret* eo fretus, quod Xenophanes non deos, sed unum deum coluisse videatur cf. Acad. prior. 2, 118 „Xenophanes (dixit) unum esse omnia neque id esse mutabile et id esse deum." Male, ut opinor, nam hoc loco prorsus non agitur de numero deorum, quos X. coluerit, sed de philosophis qui divinationem reiecerint aut acceperint. Praeterea in pronomine *qui* inest vis concessiva. Neque mirum est pluralem „deos" legi, quia Cicero Stoico fonte nititur, neque ignotum est Stoicos, ut vulgo placerent, de pluribus dis loqui, cum unum deum esse putarent.

3, 7: *haec . . . laus Academiae* — i. q. haec dubitatio, laude digna, Academiae. Non opus est vocabulum dubitationis iterare, quia in antecedentibus haec notio iam expressa est. — *praestantissimi philosophi* — i. e. Panaetii.

5, 8: *superiori gymnasio* — Ciceroni in Tusculano erant gymnasia duo, quorum alterum, altius situm, Academiam vocabat, alterum inferius, Lyceum; cf. Tusc. II 3, 9.

5, 8: *migrare* transitive quoque usurpatur apud Cic. Fin. III § 67: ,,*Qui ius civile conservaret, eum iustum, qui migraret, iniustum fore;*" de Off. I § 31: ,,*ut reddere depositum, promissum facere, quaeque pertinent ad veritatem et ad fidem, ea migrare interdum et non servare, sit iustum;*" de Legg. III § 11: ,,*quod quis earum rerum migrassit, noxiae poenae par esto.*"

6, 11: *alterum artis est, alterum naturae* — Graeci dicunt *μαντικὴν ἔντεχνον* et *ἄτεχνον* cf. Paully s. v. ,,divinatio."

7, 12: *cornicem a laeva, corvum a dextera* — cf. 39, 86 *quid (habet) augur cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum.* 53, 120 *tum a dextra, tum a sinistra parte canant oscines.* Plautus Asin. 259 sqq. ,,quovis admittunt aves, Picus et cornix [est] ab laeva, corvos, parra (i. e. genus ululae) ab dextera Consuadent." Quare cum sinistra auguri advolabat cornix, per se fausta habebatur, corvus veniens a dextra. Cui quidem sententiae obstare videtur locus ille Vergilii Ecl. 9, 14 ,,Quod nisi me quacumque novas incidere lites Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix, Nec tuus hic Moeris nec viveret ipse Menalcas," sed cornix ibi malum omen est, non quia a sinistra parte, sed quod in cava ilice sedens monet, ut iure explicat Ladewig ad h. l. cf. Phaedrus III 18, 12.

7, 12: *et in significatione eventus* codd. — *exin signif.* Davisius, *et significatio eventu* coll. c. 33. Hottingerus; *et significatio est eventis* Schützius; *in significationis eventu* Goer.; *et significatio eventis* vel *et significationes eventis* (sic) Meyerus; *in significatione eventu sunt* Io. Cannegieter; *significationis eventu* (deleto *in*) Moserus. Equidem Davisii coniecturam, paulum mutatam, recipiendam duco ut legas *et exin significatione eventus.*

7, 13: *atque etiam ventos . . . repulsus* — vertit Aratum Dios. 177—180.

*σῆμα δέ τοι ἀνέμοιο καὶ οἰδαίνουσα θάλασσα*
*γινέσθω καὶ μακρὸν ἐπ' αἰγιαλοὶ βοόωντες,*
*ἀκταὶ τ' εἰνάλιαι, ὁπότ' εὔδιοι ἠχήεσσαι*
*γίνωνται, κορυφαί τε βοώμεναι οὔρεος ἄκραι.*

7, 13: *saepe* — per translationem substantivum *saepes* etiam usurpatur Ov. Trist IV 1, 81: ,,Sic, si quem nondum portarum saepe receptum



Barbarus in campis repperit hostis, agit;" Ovid. Met. VII 186: nullo cum murmure saepes (= ager), Immotaeque silent frondes." — *saepe repulsus* — Manutii coniectura *saepe repulsu* non opus est, quod lectio tradita, quamvis minus elegans, tamen non in suspicionem vocanda est propter cumulationem attributorum *densus*, *ortus*, *repulsus*. Deinde nimis audax sit, si quis adverbium *saepe* pro adiectivo adhibitum in textum coniectura inculcare velit: potius ablativus accipiendus est vocabuli *saepes.*

8, 14: *cana fulix* cet. — cf. Arat. Dios. 181—183:

*Καὶ δ' ἄν, ἐπὶ ξηρὴν ὅτ' ἐρωδιὸς οὐ κατὰ κόσμον*
*Ἐξ ἁλὸς ἔρχηται φωνῇ περιπολλὰ λεληκώς,*
*Κινυμένου κε θάλασσαν ὕπερ φορέοιτ' ἀνέμοιο.*

et 216-221 *Ἢ τρύζει ὀρθρινὸν ἐρημαίη ὀλολυγών,*
*Ἤ που καὶ λακέρυζα παρ' ἠιόνι προυχούσῃ*
*Χείματος ἐρχομένου χερσαῖ' ὑπέτυψε κορώνη,*
*Ἤ που καὶ ποταμοῖο ἐβάψατο μέχρι παρ' ἄκρους*
*Ὤμους ἐκ κεφαλῆς, ἢ καὶ μάλα πᾶσα κολυμβᾷ,*
*Ἢ πολλὴ στρέφεται παρ' ὕδωρ παχέα κρώζουσα.*

cf. Verg. Georg I 315 sqq.; van Wageningen, de Vergilii Georgicis, pag. 126.

9, 15: *vos quoque signa videtis* cet. — Arat. vs. 214 sqq.:

*Ἢ μᾶλλον (δειλαὶ γενεαί, ὕδροισιν ὄνειαρ)*
*Αὐτόθεν ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων.*

(vss. 216 sqq. ad 8, 14 descripsi).

9, 15: *mollipedesque boves* cet. — Arat. vs. 222:

*Καὶ βόες ἤδη τοι πάρος ὕδατος ἐνδίοιο*
*Οὐρανὸν εἰσανιδόντες ἀπ' αἰθέρος ὀσφρήσαντο.*

9, 15: *iam vero* cf. Arat. Dios. 319:

*Τριπλόα δὲ σχῖνος κυέει, τρισσαὶ δὲ οἱ αὖξαι*
*Γίνονται καρποῖο.*

9, 16: *cur arandi . . . . accommodet* — h. e. cur arbor flore suo signum det arandi (Kayser).

10, 16: *scammonea* Belgice, ,,purgeerwinde," ,,jalappewortel," vid. Plin. n. h. XXVI 9 § 59.

10, 16: *aristolochia*, Belgice ,,moffenpijp;'' erat utilis adversus serpentum morsus et in parturientium doloribus, cf. Theophrastum, Hist. plant. IX 22; Plin. n. h. XXV § 95: ,,inter nobilissimas aristolochiae nomen dedisse gravidae videntur, quoniam esset *ἀρίστη λεχούσαις*. nostri malum terrae vocant.''

10, 16: *fissum* — cf. de nat. deor. III 6, 14: *quis invenit fissum iecoris?* de div. II 13, 32: *fissum familiare et vitale tractant;* cf. de div. I 52, 114 et 52, 118; II 12, 28 et 14, 34; *fissum* est linea quaedam quam sibi fingebant in duas partes exta discernentem, quarum una ad sacrificantem, altera ad hostem pertinebat.

10, 16: *Summanus in fastigio Iovis* — quis Summanus fuerit, iam Ovidius ignorare se dixit in Fastis VI 731 ,,Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur.'' Cultus Summani Termini Iuventatis cum cultu Iovis Capitolini cohaerent. Summanus deus erat caeli nocturni et ei sacra fiebant, si noctu fulguraverat. Nomen eius etiam Iovi tamquam cognomen indebatur. Plura de eo apud Wissowa, Relig. et Cult. Rom. p. 124.

10, 17: *flammatus Iuppiter* cf. de nat. deor. II 22, 57 *naturam id est, ut dixi, ignem artifisiosum* et Diog. Laert. VII 156 *δοκεῖ δὲ τούτοις (τοῖς Στωικοῖς) τὴν φύσιν εἶναι πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον εἰς γένεσιν.*

11, 17: *quae penitus sensus hominum vitasque retentat* — Iupiter Stoicorum more *πῦρ τεχνικὸν* (D. L. VII 156) denotat, quod in omnium mortalium sensibus et vitis est, nam anima est ignis.

11, 18: *laeto mactasti lacte Latinas* (sc. ferias): sollemni sacrificio coluisti ferias Latinas, quibus etiam lac offerri solebat, cf. Dion. Hal. A. R. IV 154.

11, 18: *luna perempta est* — h. e. e conspectu evanuit.

11, 18: *Phoebi fax* — cf. Cic. Catil. III 8, 18: ,,visas nocturno tempore ab occidente faces ardoremque caeli;'' Plin. n. h. II § 96: ,,lampadas vocant plane faces, alterum (genus) bolidas, quale Mutinensibus malis visum est. distant quod faces vestigia longa faciunt priore ardente parte, bolis vero perpetua ardens longiorem trahit limitem.''

11, 18: *magnum ad columen* — i. e. columnae instar; cf. § 20 ,,*excelsum ad columen formata decore.*''



12, 19: *Torquato . . . et consule Cotta* — Consules fuerunt anno 65 a. Chr. n., cf. Cic. Cat. III 8, 18.

12, 19: *Nattae* — cf. II 21, 47: *Nattae vero statua aut aera legum de caelo tacta quid habent observatum ac vetustum? Pinarii Nattae nobiles.* Ceterum de Natta nihil notum est.

12, 20: *Martia* — i. e. lupa quae Romulum et Remum nutrivisse dicitur.

12, 20: *chartis . . . Etruscis* — cf. *ut in libris est Etruscorum* (II 23, 50) quorum notitiam a Caecina Volaterrano Ciceronem mutuatum esse dixi supra p. 3 et 21.

12, 21: *haec tardata diu species* — cf. Cic. Cat. III 8, 20: *atque illud ita collocandum consules illi locaverunt: sed tanta fuit operis tarditas, ut neque a superioribus consulibus, neque a nobis ante hodiernum diem collocaretur;* 9, 21 *illud vero nonne ita praesens est, ut nutu Iovis Optimi Maximi factum esse videatur? ut, cum hodierno die mane per forum meo iussu et coniurati et eorum indices in aedem Concordiae ducerentur, eo ipso tempore signum statueretur; quo collocato atque ad vos senatumque converso omnia et senatus et vos, quae erant cogitata contra salutem omnium, illustrata et patefacta vidistis.* cf. quoque de div. II 21, 47 *at eodem tempore signum Iovis conlocabatur, quo coniuratio indicabatur.*

13, 22: *e quibus* (sc. *studiis*) *ereptum primo iam a flore iuventae* — Cicero triginta annos natus anno 76 a. Chr. n. e Graecia Romam rediit et studiis philosophicis se eripuit. *te patria in media virtutum mole locavit:* tunc enim quaestor factus est.

13, 22: *relaxas | quod patriae vocatis* codd. ABVH, *quod patriae vacat his* Davisius, *relaxans quod patriae vacat id* Madvigius, *relaxas, quod patriae vocis id* Kayserus, sed prima syllaba in vocabulo *vocis* producitur, quare Madvigii coniectura multo praestat.

13, 23: *omnes . . . numeros veritatis* — in hac locutione vocabulum ,,numeros'' pro partibus dictum est, ut Ovidius Met. VII 126: ,,Utque homines speciem materna sumit in alvo Perque suos intus numeros componitur infans. Nec nisi maturus communes exit in auras;'' I 428: ,,quaedam trunca vident suis numeris.'' cf. Cic. Verr. II 69, 166; Acad. I 3, 9; de off. III 3, 14; Cic. de finib. IV, 20, 56; Quint. X 1, 91.

13, 23: *Venerium* vocabant iactum, qui talos omnes quattuor diverso numero (1, 3, 4, 6) ostendebat (cf. Rich, Wörterbuch der Römischen Alterthümer s. v. „talus")[1]). Pers. Sat. III 48 sqq.:

> iure etenim id summum, quid dexter senio ferret,
> scire erat in voto, damnosa canicula quantum
> raderet.

Magni momenti sunt quae scholiasta ad h. l. annotat: „tali in hoc loco tres tesserae sunt numerum impressum tenentes in alea. senio autem et canicula et Venus propria nomina iactus tesserarum sunt. verbi gratia, dum tres seni (*τρὶς ἕξ*) proveniunt, is iactus senio est. in quo notandum quia interdum est sinister. dum vero tres uni, canicula. Venus autem, dum iactus iuxta rationem numeri optime conectuntur, quam conexionem unio i. e. canicula in fine tabulae efficere solet. canicula pro cane, quae in calculis ex omni iactu talorum quinque detrahit, excepta Venere, in qua sola prodest"[2]). Cf. Suet. Aug. 71; Ov. a. a. II 208; Marquardt, Privatl. der Röm., VII 2, p. 853.

14, 24: *occaecat* — Meyerus ait sibi videri *et* pro *etiam* positum esse, et *nimbum* esse accusativum et obiectum verbi *occaecat* vertitque: „und Schwärze löscht den Schimmer selbst der Nacht." Moserus qui *nimbum* genetivum pluralem esse censet, ad verbum *occaecat* mente addit *oculorum aciem*. Mihi quoque nimbum genet. esse videtur et omissum obiectum diem.

15, 28: *impetriri* — cf. c. 2 § 3.

16, 28: *nuptiarum auspices* — in nuptiis specie et nomine magis quam re augur adhibebatur. Val. Max. II 1, 1 „apud antiquos non solum publice, sed etiam privatim nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumpto: quo ex more nuptiis etiamnum auspices interponuntur. Qui quamvis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia usurpant." Iuvenalis Sat. 10, 336: „veniet cum signatoribus auspex;" cf. Tac. Annal. XI, 27; Suet. Claud. 26 et 29.

16, 29: *P. Claudius . . . L. Iunius* bello Punico primo consules classes amiserunt, Claudius ad Drepanum in pugna navali contra Adher-

---

1) Ludebatur tribus tesseris (*κύβοις*), quarum omnia latera sex erant numero notata, talis autem quattuor, quorum duo latera numero (2 et 5) carebant.

2) Postrema verba nondum satis explanata, neque a Marquardtio in suum usum conversa.



balem, Iunius procellae vi apud Pachynum, Siciliae promunturium. cf. Cic. de nat. deor. II 3; Val. Max. 4, 3; Min. Fel. 7.

*Appius . . . censor C. Ateium notavit* — Appius Claudius augur, Ciceronis collega, ius augurium, etsi divinationis opinione principio constitutum, tamen postea reipublicae causa conservatum esse ac retentum existimavit (II 35, 75) et scripsit libros augurales (Cid. ad. fam. III 4, 6); C. Ateius autem resistebat Crassi expeditioni, cf. Plut. Crass. c. 16 *ὁ δ' Ἀτήϊος προδραμὼν ἐπὶ τὴν πύλην ἔθηκεν ἐσχαρίδα καιομένην καὶ τοῦ Κράσσου γενομένου κατ' αὐτὴν ἐπιθυμιῶν καὶ κατασπένδων ἀρὰς ἐπηρᾶτο δεινὰς . . . καὶ τότε οὖν ἐμέμφοντο τὸν Ἀτήϊον, εἰ δι' ἣν ἐχαλέπαινε τῷ Κράσσῳ πόλιν, εἰς αὐτὴν ἀρὰς ἀφῆκε καὶ δεισιδαιμονίαν τοσαύτην.* Dio Cass. XXXIX 39.

17, 31: *Atto Navio* — cf. Cic. de nat. deor. II 3 § 9, ubi prave Hostili aequalis fuisse Navius dicitur. Cic. de rep. II 20, Dionys. Halic. A. R. III 70, Liv. I 36 Navii mentionem faciunt.

17, 33: *quod scriptum apud te est* — cf. de nat. d. II c. 4.

18, 34: *Bacis Boeotius* vates floruit bello Persarum de quo Herod. VIII 20 (ubi vid. annot. Steinii) et Pausan. X 14, 3.

18, 34: *Sibylla Erythraea* nomen ducit ab Erythris, ubi colebatur; sed Pausanias (X 12) unam eandemque Sibyllam, nomine Herophylam, Delphis et Troiae vixisse narrat, Erythraeosque in suis finibus cavernam, ubi Herophyle nata esset, monstrare. cf. Strabo XIV p. 645 Cas., XVII p. 814.

18, 34: *divinationem* codd. ABVHT. — Iure Hottingerus *divinitatem* restituit. Cicero enim, Posidonium secutus, somniantes diviniores esse sive plus divinitatis habere vult quam somniorum interpretes, eodem modo atque animum paulo ante mortem diviniorem esse corporisque contagione liberatum dicit (§ 63). Tenendum est interpretes somniorum corporis vinculis impediri, ne futura tam bene cernant quam somniantes (cf. § 114).

18, 36: *ut C. Gracchus scriptum reliquit* — nempe in epistula ad M. Pomponium cf. II 29, 62.

19, 36: *Babylonem et eos* — Neque *et* delendum est neque legendum cum Hottingero *Babylonios eos qui;* non enim Babylonii Caucasi incolae sunt, neque est cur Ciceroni errorem geographicum imputemus;

praeterea Babylonii in capite 42 divinare dicuntur, quare vocabulum *Babylonis* non ab hoc loco alienum est neque delendum cum Christio et Baitero.

20, 39: *Galeotae* sunt familia seu gens vatum in Sicilia (cf. Aelian. XII 46), qui praesertim Hyblae versabantur, quae inde *γαλεῶτις* vel *γαλεᾶτις* vocabatur. cf. Thuc. VI 62 et Paully s. v.

20, 40: *anus . . . Eurydica prognata . . .* cet. — Ennius haec in libro primo annalium dixit, cf. Vahlenium, Ennianae poesis reliq., Ann. I vss. 35 sqq. Anus utrum nutrix sit an Vestalis maxima, dubium quidem est, neque constat quae Eurydice sit. Sed cum ipse Tullius dicat *Vestalis illa* simplicius accipies anum esse Vestalem maximum, de qua vid. Suet. Caes. cap. 83 p. 42 Preudh.

21, 42: *mater gravida* cet. — ,,versus videntur ex Alexandri Ennianae fabulae prologo sumpti esse,'' cf. Ribbeckium trag. fr. ed. II p. 236 (ed. minor p. 273).

21, 42: *quo sese vertant tantae sortes somnium* — i. q. quis finis sit sive quo spectent sive qualis sensus sit somniorum (poetice pluralis pro singulari) praesignificationum. Nam *somnium* est genetivus pluralis et *sortes somniorum* significant ea quae in somnio futura esse videntur.

22, 45: *verruncent* — de hoc verbo vid. Bréal et Bailly, Diction. étymol. Latin p. 432 ,,verruncare appartient probablement à la même famille (verto): il signifie ,,tourner,'' en parlant des événements. Pacuv. ap. Non., p. 185: Precor, veniam petens, Ut quae egi, ago, [vel] axim, verruncent bene. Liv. XXIX 27: ,,Quae in meo imperio gesta sunt, geruntur, postque gerentur, ea mihi populo plebique Romanae . . . bene verruncent.'' Cf. Walde, Lex. Lat. Etym. s. v. averrunco, qui illis astipulatur.

23, 46: *visam esse* — i. e. sibi visam esse cf. § 49 *Hannibalem . . . visum esse.* § 50 *Hamilcarem visum esse.*

23, 46: *ex Dinonis Persicis proferam?* — Dinon verbosum opus Alexandri Magni temporibus de Asiae regnis Indiaeque miraculis scripsit. cf. Schäfer - Nissen, Quellenkunde der Griechischen Geschichte[4] p. 65.

23, 47: *discedo . . . revertar* aut eicienda aut verbis *est profecto quiddam* cet. proponenda censuit Frenzel; sed Callani divinationem, quae post



verba *est profecto quiddam* subsequitur, factam esse legimus paulo ante mortem et eiusmodi divinationes a Stoicis arte coniungebantur cum somniis, (cf. § 63), quare *discedo . . . revertar* eo non apte transponentur. Neque a loco aliena sunt, quod re vera Alexandri ortus et Ephesii templi Dianae deflagrationis commemoratio a somniis narrationem devertit; itaque nil coniciendum neque emendandum est.

24, 48: *secundum quietem* — cf. II 61, 126 *causa alia est cur secundum quietem aliquid videre . . . videamur;* ibid. *idque si nostra causa di secundum quietem facerent;* 66, 135 *secundum quietem visus ei dicitur draco;* Suet. Oct. 94 *cuius imago secundum quietem sibi obversata sit.*

24, 50: *apud Agathoclem* — quomodo Cicero Agathoclem, rerum Cyzicenarum scriptorem, cum Agathocle illo confuderit, qui Hamilcaris temporibus fuit Syracusarum tyrannus, supra demonstravi p. 16.

24, 51: *P. Decius ille, Quinti filius, qui primus e Deciis consul fuit.* — P. Decius Mus enim, qui anno 343 a. C. n. bello Samniti tribunus militum exercitum Romanum liberavit Samnitesque profligavit (Liv. VII 34), consul fuit anno 340 a. Chr. n. (Liv. VIII 3). Tres Decii pater, filius, nepos pro patria se devoverunt et telis hostium certaeque morti obtulerunt, cf. Cic. de fin. II 19; Tusc. I 37.

25, 54: *Sophoclem, qui* cet *. . . . nominatum est.* — In vita Sophoclis eadem narratur fabula, sed in partibus diversa: *γέγονε δὲ καὶ θεοφιλὴς ὁ Σοφοκλῆς ὡς οὐκ ἄλλος, καθά φησιν Ἱερώνυμος περὶ τῆς χρυσῆς στεφάνης. ταύτης γὰρ ἐξ ἀκροπόλεως κλαπείσης κατ' ὄναρ Ἡρακλῆς ἐδήλωσε Σοφοκλεῖ τὴν Μίκωνος* (ita Dindorfius pro codd. lectione: *μὴ οἰκοῦσαν*) *οἰκίαν ἐν δεξιᾷ εἰσιόντι ἐρευνῆσαι, ἔνθα ἐκέκρυπτο. ἐμήνυσε δ' αὐτὴν τῷ δήμῳ καὶ τάλαντον ἐδέξατο· τοῦτο γὰρ ἦν προκηρυχθέν. λαβὼν οὖν τὸ τάλαντον ἱερὸν ἱδρύσατο Μηνυτοῦ Ἡρακλέους.*

26, 55: *omnes historici . . . sed proxume Caelius* — Livius II 36, 2 idem tradit, quod Cicero ex auctoritate Caelii, sed addito nomine rustici illius, quem vocat Titum Latinium, cf. Val. Max. I 7, 4.

27, 57: *cum duo Arcades* cet. — Suidas s. v. *τιμωροῦντος* dicit: *λέγει γοῦν Χρύσιππος*[1]) *ἐν Μεγάροις καταχθῆναί τινα χρυσίου ζώνην πεπληρωμένην ἐπαγόμενον. ἀπέκτεινε δὲ ἄρα αὐτὸν πανδοκεὺς ὁ ὑποδεξάμενος*

---

1) Cf. § 56: *illa duo somnia, quae creberrime commemorantur a Stoicis.*

*ὀψισθέντα, ἐποφθαλμίσας τῷ χρυσίῳ· εἶτα ἔμελλεν ἐκκομίζειν ἐφ' ἁμάξης ἀγούσης κόπρον, ὑποκρύψας ἐν ταύτῃ τὸν πεφονευμένον. ἡ τοίνυν ψυχὴ τοῦ τεθνεῶτος ἐφίσταται Μεγαρεῖ τινί, καὶ λέγει ὅσα τε ἔπαθε καὶ ὑφ' ὅτου, καὶ ὅπως ἐκκομίζεσθαι μέλλοι καὶ κατὰ ποίας πύλας. ὃ δὲ οὐκ ἤκουσε ῥαθύμως τὰ λεχθέντα, κνεφαῖος δὲ διαναστὰς καὶ παραφυλάξας τοῦ ζεύγους ἐπελάβετο, καὶ ἀνίχνευσε τὸν νέκρον. καὶ ὁ μὲν ἐτάφη, ὁ δὲ ἐκολάσθη.* Cf. Val. Max. I 7, 10 ext.

28, 59: *Sallustius* — amicus Ciceronis de quo ipse Tullius ep. ad fam. 62, 6 (ed. Tyrrel and Purser): ,,Sallustius officio vincit omnes.'' Sallustium philosophiae studiosum fuisse patet, non tamen ita ut eius stilus Ciceroni placuisse visus sit, cf. ad Q fr. 2, 9, 3 (anno 54): *sed cum* ⟨a d u m b i l i c u m⟩ *veneris virum te putabo, si Sallustii Empedoclea legeris hominem non putabo;* eiusque consilium Cicero rogavit in componendis operibus suis de philosophia cf. Teuffel R. L. G. I 370; Schanz R. L. G. I p. 191.

29, 60: *vide quid Socrates in Platonis Politeia loquatur* — Cicero vertit Plat. Pol. IX 1 (p. 571 C) sed non ad verbum. Frustra enim quaeras Graeca verba pro iis quae Tullius dicit a *quorum utrumque* usque ad *affluit*; sed apud Platonem legimus nonnulla, quae Cicero in versione praeteriit: *ἀπωσάμενον τὸν ὕπνον — βρωματός τε ἀπέχεσθαι μηδενός — εἰς σύννοιαν αὐτὸς αὑτῷ ἀφικόμενος — ὅπως ἂν κοιμηθῇ καὶ μὴ παρέχῃ θόρυβον τῷ βελτίστῳ χαῖρον ἢ λυπούμενον — ἀλλ' ἐᾷ αὐτὸ καθ' αὑτὸ μόνον καθαρὸν σκοπεῖν καὶ ὀρέγεσθαι τοῦ αἰσθάνεσθαι ὃ μὴ οἶδεν, ἤ τι τῶν γεγωνότων ἢ ὄντων ἢ καὶ μελλόντων καὶ μή τισιν εἰς ὀργὰς ἐλθὼν κεκινημένῳ τῷ θυμῷ καθεύδῃ — καὶ ἥκιστα παράνομοι.*

30, 62: *Pythagoricis interdictum putatur, ne faba vescerentur* — Gellius N. A. IV, 11 hanc opinionem Ciceronis aliorumque falsam esse perhibet, auctoritate fretus imprimis Aristoxenis: *Πυθαγόρας δὲ τῶν ὀσπρίων μάλιστα τὸν κύαμον ἐδοκίμασεν· λίαν κινητικόν (λειάντικόν* corr. Cobet) *τε γὰρ εἶναι καὶ διαχωρητικόν. διὸ καὶ μάλιστα κέχρηται αὐτῷ* (FHG II 273).

30, 63: *cum omnino corpore excesserit. Itaque appropinquante morte multo est divinior.* — Posidonio persuasum erat corpus divinationi obstare (cf. §§ 111 et 114), sed hominis animum deo esse cognatum (§§ 64 et 109) deumque omnia tenere, quae futura essent (§ 127); divinus hoc loco idem est ac deo cognatus, quatenus futura praesentiat.



30, 64: *immortalium animorum, in quibus tamquam insignitae notae veritatis appareant* cf. Plut. de plac. phil. 4, 11: *ὅταν γεννηθῇ ὁ ἄνθρωπος, ἔχει τὸ ἡγεμονικὸν μέρος τῆς ψυχῆς ὥσπερ χάρτην εὔεργον εἰς ἀπογραφήν. εἰς τοῦτο μίαν ἑκάστην τῶν ἐννοιῶν ἐ ν α π ο γ ρ ά φ ε τ α ι, πρῶτος δ' ὁ τῆς ἀναγραφῆς τρόπος ἐστὶν ὁ διὰ τῶν αἰσθήσεων.* Vox q. e. *insignitae* Stoicam originem prodit.

31, 65: *praesagibat . . . domo* — Plaut. Aulul. II 2, 1 vs. 178 (G. & S.): ,,*praesagibat mi animus frustra me ire quum exirem domo.*'' Omisit Cicero dativum *mi.* De veriloquio verbi praesagiendi cf. Festum: ,,praesagitio dicta quod praesagire est acute sentire, unde sagae dictae anus, quae multa sciunt et sagaces canes, qui ferarum cubilia praesentiunt.''

31, 67: *exitium examen rapit* — scil. classis, quae affert secum turbam malorum. *Exitiûm* genetivus pluralis est.

33, 72: *ut in Sullae scriptum historia videmus* — utrum historiam d e Sulla an a Sulla scriptam Cicero denotet, non patet. Equidem non cum Mosero facio qui, cum parte manu scriptorum, lectionem *Sisennae historiam* in textum recepit, cui verba insequentia ,,ille in agro Nolano'' et ,,id cum Sulla fecisset'' obstant; sed etiam si retinemus lectionem *Sullae*, eodem iure in utramque potest accipi partem, quia Sisennae opus in libris de div. scribendis Cicero adhibuit (I § 99 *quod quidem Sisenna cum disputavisset;* II § 54 *multa ante Marsicum bellum a Sisenna collecta attulisti*) nec Sullae commentarios ignoravit.

35, 78: *labes* — cf. § 97 *delata etiam ad senatum labe agri Privernatis, cum ad infinitam altitudinem terra desedisset.*

36, 79: *Pasiteles caelavit argento* — prorsus alius est Pasiteles (quem Ciceronis aequalem fuisse ipse contextus verborum docet), alius Praxiteles, qui saeculo quarto ante Chr. n. Athenis floruit. Plin. n. h. XXXVI § 40: ,,et Pasiteles, qui et quinque volumina scripsit nobilium operum in toto orbe. Natus hic in Graecia Italiae ora et civitate Romana donatus cum his oppidis Iovem fecit eboreum in Metelli aede, qua Campus petitur. Accidit ei, cum in navalibus (ubi ferae Africanae erant) per caveam intuens leonem caelaret, ut ex alia cavea panthera erumperet, non levi periculo diligentissimi artificis. Fecisse opera complura dicitur, quae fecerit nominatim non refertur.'' Cf. Plin. XXXIII § 130; 156; XXXV § 156; XXXVI § 35; 39; I § 33; 34.

36, 79: *qui quidem* (sc. *di*) *ipsi se nobis non offerunt, vim autem suam longe lateque diffundunt, quam tum terrae cavernis includunt, tum hominum naturis implicant* — haec pugnare videntur cum § 64 *quod ipsi di cum dormientibus colloquantur*, sed e § 118 *nam non placet Stoicis singulis iecorum fissis aut avium cantibus interessse deum; neque enim decorum est nec dis dignum nec fieri ullo pacto potest* patet Stoicos non ea quae e § 64 laudavi pressisse, etsi ea cum antiquissima Graecorum sententia, qualis iam initio libri secundi Iliadis obvia est, conveniunt. Facile autem perspicere possumus, cur haec Posidonius, Ciceronis auctor, Stoicorum rationi addiderit. Nam Clitomachus rogaverat (cf. II § 129), utrum probabilius esset, deosne immortales circum omnium mortalium lectos et grabatos concursare, an natura fieri somnia. Quam difficultatem vix effugisse videtur Posidonius, cum (§ 118) responderet: *ita a principio inchoatum esse mundum, ut certis rebus certa signa praecurrerent.*

36, 79: *terrae vis . . . Sibyllam* — cf. Diod. Sic. XVI c. 26 (Dindorf) qui copiose narrat pastorem cum capellis ad terrae cavernam prope Delphos venisse ibique terrae vi incitatum futura praedicere coepisse.

36, 79: *Ampsancti* lacus nigro colore foetidas auras exhalabant atque inde Vergilius viam incipere fingit ad inferos, Aen. VII 563. — *Plutonia*, ad Maeandrum flumen sita; teste Strabone XIII 4, p. 629, sub parvo supercilio montis supra incumbentis, foramen est modicum, admodum profundum, completum nebulosa et crassa caligine, ut solum vix conspici possit.

36, 80: *illa flexanima* (i. e. turbata anima seu vesana) — Si Ernestium sequimur ,,*illa*'' est Tecmessa, Aiacis uxor, apud Pacuvium deplorans Aiacem mortuum. Ribbeckius vero, ad Pacuv. fr. 50, laudat Varronem (de l. l. VII 87 M) ,,apud Pacuvium'' (sic. Flor.) ,,flexanima tamquam lymphata: lymphata dicta a lympha.'' Non dubium quin de Hesione haec in Teucro narrata fuerint.'' Mihi multo magis placet opinio Ribbeckii, quod in Ernesti explicatione non patet, quid vocabulum *suum* velit.

37, 80: *in Phaedro Platonis* — p. 244 a. c. 22: *νῦν δὲ τὰ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν ἡμῖν γίγνεται διὰ μανίας θείᾳ μέντοι δόσει διδομένης*, et p. 245 a. c. 22: *ὃς δ' ἂν ἄνευ μανίας Μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη.*



37, 81: *obiciuntur . . . . exercitus* — qui attente leget, animadvertet exemplum Brenni prorsus non in hunc locum quadrare. Cuius neglegentiae videtur causa esse festinatio, qua Cicero hoc opusculum confecit.

37, 81: *ego providebo* cet. — E Iustino XXIV 8 patet albas virgines esse Dianam et Minervam. Tzetzes in Chil. XI 394 versum Graecum exhibet: ,,*ἐμοὶ μελήσει ταῦτα καὶ λευκαῖς κόραις*'' *τὴν Ἀθηνᾶν καὶ Ἄρτεμιν λευκὰς δ' εἰρήκει κόρας.*

38, 83: *praenoscere* — expectaveris ,,significare'' vel tale quid, sed loco gemino II 105 idem legimus quare nequit dubitari, num praenoscere genuinum sit.

38, 85: *a dextra corvus* — vide supra ad 7, 12.

38, 85: *stella Iovis et Veneris coniuncta cum luna* — i. e. e regione lunae posita, sive ita ut eadem linea recta positae sint stella Iovis (vel Veneris) et luna et terra, cf. Manethonem in Apotel. lib. II 446: *ἣν μετὰ Ζῆνι συνάπτῃ* (scil. luna) *ἢ ἁβροκόμῳ Κυθερείῃ, — Ἐσθλὴ, καὶ δώτειρα βίου πλούτοιό τε πολλοῦ.*

40, 88: *suscitant sententias* i. q. proferunt sententias. cf. Propert. II 4, 4: *et crepitum dubio suscitat ira pede.*

41, 90: *magi, qui congregantur in fano.* — Cicero in errore esse videtur, nam Herodotus Persas fanis non uti monet I c. 131 *Πέρσας δὲ οἶδα .... νηοὺς καὶ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύεσθαι.*

41, 90: *Nonis* — Singulis mensibus augures convenire solebant ad commentarios recognoscendos atque ad deliberandum. cf. Marquardt-Mommsen VI Röm. Staatsverwaltung 3, das Sacralwesen p. 382.

41, 92: *filiis sex singulis* codd. ABVH — *filiis X singulis* Davisius, *filiis X ex singulis* Christius. Quod codices exhibent, non convenit cum Valerio Maximo I 1, 1 *decem principum filii s. c. singulis Etruriae populis percipiendae sacrorum disciplinae gratia traderentur.* Sed si apud Ciceronem praepositionem *ex* addimus, necessario *singulis Etruriae populis* ablativus fit atque *traderentur* caret dativo. Praeterea verba Val. Maximi consulto descripsi, ut unicuique liqueret, quantopere haec Ciceronis verbis similia essent, ut uno ex fonte manasse viderentur. Utcumque lectio tradita se habet, non mutanda est, quia *traderentur* apud utrumque cum dativo iunctum est: potius Ciceronem errasse putandum est.

42, 93: *prodigium* ortum est ex praepositione prod (s. pro) + * agium (quod cohaeret cum a i o) cf. adagium (Walde).

42, 93: *ut tu soles dicere* — Haec verba sine ulla dubitatione referenda sunt ad ea quae Cicero scripsit de nat. deor. II § 7: *praedictiones vero et praesensiones rerum futurarum quid aliud declarant nisi hominibus ea o s t e n d i, m o n s t r a r i, p o r t e n d i, p r a e d i c i? ex quo illa o s t e n t a, m o n s t r a, p o r t e n t a, p r o d i g i a d i c u n t u r.* Vix opus est monere Ciceronem in veriloquio voc. monstri falli, quod cohaeret cum verbo monendi.

45, 101: *iudicata* cf. Tusc. I § 116: *his et talibus auctoribus usi confirmant causam rebus a dis immortalibus iudicatam.* Iudicata igitur i. q. iudicio sive arbitrio (maiorum) comprobata.

47, 105: *addubitato Salutis augurio* — i. e. cum dubitaretur, num faustum esset Salutis augurium. *Augurium salutis* non ad Sabinam deam, nomine Salutem, pertinet, sed id capere solebant ut scirent liceretne deos precari pro populo Romano. cf. Cic. de legg. II § 21 *augures .... disciplinam tenento sacerdotesque et vineta virgetaque et salutem populi auguranto.* cf. etiam Wissowa, Relig. et Cult. Rom. (Iw. Mülleri ,,Handbuch der klass. Alterthumsw.'') p. 123.

47, 105: *Soranus* sive Deus Soranus, nominatus a Sora aut a Soracte, ut pro Soracino sit, apud Vergil. Aen. XI 785 (cf. annot. Ladewig-Deuticke) idem ac Apollo est: *summe deum, sancti custos Soractis Apollo.* Olim tamen in hoc monte V e i o v i s, sanctissimus deus veterum Italorum, colebatur, qui postea a Romanis par atque similis iudicatus est Apollini, quoniam uterque sagittarius erat et lupum comitem habebat. Huius dei templi antistites nudis pedibus in fervidis lignis ambulabant aut *κατεχόμενοι ὑπὸ τοῦ δαίμονος*, ut Strabo V 2 vult, aut medicamento aliquo caventes, ne laederentur pedes, cui opinioni favet Servius ad Aen. l.l. Omnibus publicis oneribus vacabant et ,,Hirpi Sorani'' nominabantur (Sabine hirpi = lupi), cf. Verg. Aen. VII 696; Wissowa, Rel. et Cult. Rom. pag. 191, 241.

47, 105: *decantandi augurii* — cf. II 34, 71.

48, 107: *in monte Remus* — Vahlenius, ad Enn. fr. XLVII ex annalium libro primo, ubi lectionem traditam recepit, annotat *in monte*, quod habent libri omnes, Ciceronis verba esse, Ennii orationem breviantis, quae tamen vereor ne Tulliana latinitas non sit. Müllerus cruce apposita



locum corruptum esse censet, Kayserus legit *hinc Remus* cum ed. Iuntina. *Remoramne* — de *Remuria* cf. Ov. fast. V 479.

Romulus obsequitur lucemque Remuria dicit
illam, qua positis iusta feruntur avis.

et Aur. Vict. de or. g. R. 23, 1. ,,cum igitur se Romulus et Remus de condenda urbe tractarent, in qua ipsi pariter regnarent, Romulusque locum, qui sibi idoneus videretur, in monte Palatino designaret Romamque appellari vellet, contraque item Remus in alio colle, qui aberat a Palatio milibus quinque, eundemque locum ex suo nomine Remuriam appellaret'' cett. Orellius non iure *Remamne* coniecit, nam prima syllaba vocis *Remi* brevis est.

49, 110: *divinatio .... naturalis .... referenda est ad naturam deorum a qua .... haustos animos et libatos habemus*, cf. § 64. De omni hac parte libri primi vide dissertationis caput II § 5 et C.

49, 111: *de Atheniensi Solone* — Val. Max. V 3, 3 extern. ,,Solon Pisistrati tyrannidem primus vidit orientem, solus armis opprimi debere palam dictitare ausus est.'' Diog. L. I 2, 3 (49): *Ἄιξας γὰρ (Σόλων) εἰς τὴν ἐκκλήσιαν μετὰ θώρακος καὶ ἀσπίδος προεῖπεν αὐτοῖς τὴν ἐπίθεσιν τοῦ Πεισιστράτου· καὶ οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ βοηθεῖν ἕτοιμος εἶναι, λέγων ταῦτα· Ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν μὲν σοφώτερος, τῶν δὲ ἀνδρειότερός εἰμι· σοφώτερος μὲν τῶν τὴν ἀπάτην Πεισιστράτου μὴ συνιέντων· ἀνδρειότερος δὲ τῶν ἐπισταμένων μὲν, διὰ δέος δὲ σιωπώντων.* Aelian. V. H. VIII 16: *(Σόλων) ἔφη ὅτι τῶν μέν ἐστι σοφώτερος, τῶν δὲ ἀνδρειότερος. ὅποσοι μὲν μὴ γιγνώσκουσιν, ὅτι φυλακὴν λαβὼν περὶ τὸ σῶμα τύραννος ἔσται, ἀλλὰ τούτων μέν ἐστι σοφώτερος, ὁπόσοι δὲ γιγνώσκοντες ὑποσιωπῶσι, τούτων ἀνδρειότερός ἐστιν. ὁ δὲ λαβὼν τὴν δύναμιν τύραννος ἦν.*

50, 114: *versibus quos olim Fauni vatesque canebant* — Cic. Brut. 19, 75: *tamen illius, quem in vatibus et Faunis annumerat Ennius, bellum Punicum quasi Myronis opus delectat.* § 76: *sit Ennius sane, ut est certe, perfectior; qui si illum, ut simulat, contemneret, non omnia bella persequens primum illud Punicum acerrimum bellum reliquisset. Sed ipse dicit cur id faciat: ,,scripsere,'' inquit, ,,alii rem vorsibus'' et luculente quidem scripserunt, etiam si minus quam tu polite. Nec vero tibi aliter videri debet, qui a Naevio vel sumpsisti multa, si fateris, vel si negas, surripuisti.* § 71: *quid, nostri veteres versus ubi sunt.*

*quos olim Fauni vatesque canebant*
*cum neque Musarum scopulos*
*nec doctis dictis studiosus quisquam erat ante hunc,"*

*ait ipse de se nec mentitur in gloriando."*
Varro de l. L. VII 36:

,,*versibus quos olim Fauni et vatesque canebant.*

Fauni dei Latiorum, ita ut et Faunus et Fauna sit; hos versibus quos vocant Saturnios in silvestribus locis traditum est solitos fari, quo fando Faunos dictos. Antiquos poëtas vates appellabant a versibus viendis." Ex Varrone Servius ad Georg. I 11 p. 133 4 Phil.: ,,sed Varro ad Ciceronem ita ait ,,dei Latinorum ita ut Faunus et Fauna sit † per ex versibus quos vocant Saturnios in silvestribus locis solitos fari futura atque inde Faunos dictos." Cf. Vahlenium, Enn. poes. rel. p. 38, 39; Enn. fr. I ex Annal. l. VII. Cum iam Varro versus Faunorum Saturnios esse suspicatus sit et Cicero haec Ennium dicat in Naevium poetam dixisse, cuius bellum Punicum versibus Saturniis erat compositum, hic quoque Saturnii intelligendi sunt, ut opinor; cf. Leo, der Saturnische Vers (Abhandl. d. Kön. Ges. d. Wiss. z. Gött. N. F. Bd. 8 N⁰. 5) Berl. Weidm. 1905 (Museum 1906 n⁰. 10 Schrijnen.) pag. 8.

50, 115: *credo etiam anhelitus quosdam fuisse terrarum, quibus inflatae mentes oracla funderent* — cf. § 79: *terrae vis Pythiam Delphis incitabat, naturae Sibyllam.*

51, 115: quae hoc loco de somniis dicuntur, multo copiosius exposita sunt §§ 60—64 (et § 122).

51, 115: *Apollinis operta* i. q. Apollinis oracula, cf. II 56, 115: *sed iam ad te venio, sancte Apollo, . . . . tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit.*

52, 118: *ad hostiam deligendam potest dux esse vis quaedam sentiens quae est toto confusa mundo* — cf. § 35: *ad hostiam deligendam ducem esse vim quandam sentientem atque divinam, quae toto confusa mundo sit.* Eodem modo quo Posidonius in divinationis definitione inseruit vocem *putantur* (I § 9), cum Chrysippus *earum rerum divinationem esse* dixisset *quae essent fortuitae* (II § 13), in hac quoque re cautissime addidit vocem *potest*, quod quidem Ciceronem fugit; is enim II 15, 35 Clitomachum secutus, inde sumpsit



Chrysippi et Antipatri divinationis definitionem ibi laudatam, addiditque nomen Posidonii, quem idem dixisse arbitrabatur; sed non ita mutasse Posidonium id memoria tenebat: *potest esse vis quaedam sentiens.*

52, 119: *qua ille rei novitate perculsus* — *qua illo rei novitate perculso* Davisius; sed cum apud Sueton. Caes. c. 77 non Caesar perculsus esse dicatur, sed Spurinna, Hottingerus coniecit *qua rei novitate* (deleto *ille*). Contra iure Rathius dixit Ciceronem, si id voluisset, potius scripsisse *qua rei novitate perculsus Spurinna cum diceret* neque in ullo manuscripto *ille* abesse; idcirco proposuit: *qua ille rei novitate non perculsus, cum* (i. e. etiamsi) *Spurinna* cet. addens vocem *non* saepissime a librariis perperam intrusam vel eiectam esse. Goerenzii coniectura *qua illa rei* cet. quid proficiamus, non video, sed Moserus ingeniosissime *qua ille re non ita est*, quae coniectura ceteris multo m. i. praestat.

53, 121: *si luna . . . . Dareusque moreretur* — cf. Arrian. Exped. Al. III 7, 6; Curt. IV 10, 39.

53, 121: *scribit Herodotus, Croesi filium cum esset infans, locutum* — cf. Herod. I 85; Gell. N. A. V 9, 1—4.

53, 121: *caput arsisse Servio Tullio* — cf. Liv. I 39; Flor. I 6, 1.

54, 122: Quae Cicero hoc loco de Socratis daemonio narrat, conveniunt cum Plat. Theag. p. 128 D: *ἔστι γάρ τι θείᾳ μοίρᾳ παρεπόμενον ἐμοὶ ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον δαιμόνιον. ἔστι δὲ τοῦτο φωνή, ἥ, ὅταν γένηται, ἀεί μοι σημαίνει, ὃ ἂν μέλλω πράττειν, τούτου ἀποτροπήν, προτρέπει δὲ οὐδέποτε, καὶ ἐάν τίς μοι τῶν φίλων ἀνακοινῶται καὶ γένηται ἡ φωνή, ταὐτὸ τοῦτο ἀποτρέπει καὶ οὐκ ἐᾷ πραττειν*, cf. Apolog. c. 19 p. 31 D, sed non congruunt cum iis quae apud Xenophontem Mem. I 1 4 legimus: *τὸ δαιμόνιον γὰρ ἔφη σημαίνειν, καὶ πολλοῖς τῶν ξυνόντων προηγόρευε τὰ μὲν ποιεῖν, τὰ δὲ μὴ ποιεῖν, ὡς τοῦ δαιμονίου προσημαίνοντος*, ubi daemonium non modo dissuasisse (,,revocasse"), sed etiam suasisse (,,impulisse") dicitur.

55, 125: Plut. de plac. phil. I 28 (Mor. p. 885 B): *οἱ Στωικοὶ εἱρμὸν αἰτιῶν, τουτέστι τάξιν καὶ ἐπισύνδεσιν ἀπαράβατον. Ποσειδώνιος τρίτην ἀπὸ Διός· πρῶτον μὲν γὰρ εἶναι τὸν Δία, δεύτερον τὴν φύσιν, τρίτον δὲ τὴν εἱμαρμένην.*

56, 127: *rudentis explicatio* — Locutionem hanc verisimile est Ciceronem ex sermone Stoicorum sumpsisse, quoniam Graeci saepissime vocabulo *κάλως* per translationem utuntur (*πάντα κάλων ἐκτείνειν* et talia conferantur), Romani raro vocem ,,rudens'' figurate usurpant, cf. Amm. 29, 1, 6: ,,rudentem explicuit immensum.''

57, 129: *animi vis seiuncta a corporis sensibus* — Madvigius et Orellius coniecerunt *seiuncti*, Orelliusque: Sic certe scribere, inquit, Cicero debuit; nam animus, cum seiunxit se a corporis sensibus, magnam vim habet, non animus vim seiunctam''. Pace viri docti dixerim Ciceronem, ut Lucretius saepius, *animi vim* pro *animo* usurpasse.

57, 131: *nam isti ... censeo* — Ribbeckius, trag. lat. rel. p. 284, annotat haec verba in Chryse fabula dici a physico, cui Chryses nomen sit, qui sermonem cum Oreste serat (vid. etiam Trag. Rom. Fragm.[2] p. 87 Pacuvii fr. V). Sensus verborum est: nam isti qui linguae avium periti sunt sive augures, plus sapientiae in alieno scil. hostiarum iecore quam in suo esse putant. cf. Plut. Sept. Sap. Conv. c. 7, p. 152 D, *σὺ δὲ δεινὸς εἶ κοράκων ἐπαΐειν καὶ κολοιῶν, τῆς δὲ θεοῦ φωνῆς οὐκ ἀκριβῶς ἐξακούεις.* Iam Wyttenbachius monuit fontem Ciceronis et Plutarchi esse Graecum tragicum.

58, 132: *sed superstitiosi vates ... cetera* — hi versus ex Enni Telamone (cf. de nat. deor. III 32, 179) in ea parte tragoediae Ennianae locum habebant, ubi Telamon illa de dis et vatibus cum contumelia effutiat, quae Teucer apud Sophoclem in Aiace (vs. 1036 *ἐγὼ μὲν ἂν καὶ ταῦτα καὶ τὰ πάντ' ἀεὶ φάσκοιμ' ἂν ἀνθρώποισι μηχανᾶν θεούς*) Ennii exemplari, pronuntiaverat. cf. Vahl. Enn. poes. rel. p. 179.

58, 132: Finis libri temporum iniquitate periit, nec tamen multa abesse possunt, quod res peracta est, cf. 57, 131 ,,*haec habui*'' inquit ,,*de divinatione quae dicerem.*''

## AD LIBRUM SECUNDUM.

2, 6: *naturales esse .... singulis* — cf. Plato Rep. VIII 2 p. 545: *πᾶσα πολιτεία μεταβάλλει ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἔχοντος τὰς ἀρχάς, ὅταν ἐν αὐτῷ τούτῳ στάσις ἐγγένηται. ὁμονοοῦντος δὲ, κἂν πάνυ ὀλίγον ᾖ, ἀδύνατον νικηθῆναι, ἐπεὶ γενομένῳ παντὶ φθορά ἐστιν, οὐδ' ἡ τοιαύτη ξύστασις τὸν ἅπαντα μενεῖ χρόνον, ἀλλὰ λυθήσεται.*

2, 7: *in libris ... putabamus* — Non mirandum est quod philosophiam et rem publicam comparavit, nam § 4 etiam oratoria opera philosophiae adiunxit. Hottingerus locum interprotatur: ,,ut antea in senatu et in contione populi de singulis rebus sententiam dicere solebamus, ita nunc idem facimus in libris.''



2, 7: *quoniam de republica consuli coepti sumus* — cf. de off. II 1, 3: *Atque utinam res publica stetisset, quo coeperat, statu nec in homines non tam commutandarum quam evertendarum rerum cupidos incidisset! Primum enim, ut stante republica facere solebamus, in agendo plus quam in scribendo operae poneremus, deinde ipsis scriptis non ea, quae nunc, sed actiones nostras mandaremus, ut saepe fecimus. Cum autem res publica, in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino, illae scilicet litterae conticuerunt forenses et senatoriae. 4. Nihil agere autem cum animus non posset, in his studiis ab initio versatus aetatis existimavi honestissime molestias posse deponi, si me ad philosophiam rettulissem. cet.*

4, 11: *mentiens s. ψευδόμενος* quid sit docet Cic. Ac. II 30 *si dicis te mentiri verumque dicis, mentiris. dicis autem te mentiri, verumque dicis: mentiris igitur.*

5, 12: *bene optimum* — Cic. vertit Graecum versum Euripidis, apud Plutarchum de or. def. c. 40 p. 432 C.:

*μάντις δ' ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς.*

Cf. de Pyth. or. c. 10 p. 399*a*.

6, 17: *luna, subiecta atque opposita soli, nostris oculis eius lumen obscurat* — cf. Cic. de nat. deor. II 40, 103: *luna .... eam lucem, quam a sole accepit mittit, in terras et varias ipsa lucis mutationes habet, atque etiam tum subiecta atque opposita soli radios eius et lumen obscurat.*

7, 19: *dicebas omnia .... fato contineri* — I § 125 *fieri igitur omnia fato ratio cogit fateri.*

9, 22: *quae enim vita fuisset Priamo* — cf. Gell. NA. XIV § 36: ,,aut adversa, inquit (sc. Favorinus), eventura dicunt aut prospera. Si dicunt prospera et fallunt, miser fies frustra expectando. Si adversa dicunt et mentiuntur, miser fies frustra timendo; sin vera respondent eaque sunt non prospera, iam inde ex animo miser fies, antequam e fato fias; si felicia promittunt eaque eventura sunt, tum plane duo erunt incommoda: et expectatio te spei suspensum fatigabit

et futurum gaudii fructum spes tibi iam praefloraverit." Cf. de div. II § 105: *magnus Dicaearchi liber est, nescire ea melius esse quam scire.*

10, 25: *quod .... Iovem* — Cf. Herod. I 91: *ἀπικομένοισι δὲ τοῖσι Λυδοῖσι καὶ λέγουσι τὰ ἐντεταλμένα τὴν Πυθίην λέγεται εἰπεῖν τάδε. „τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγεῖν καὶ θεῷ."*

13, 30: *aliae pecudis* — Cf. de hac genetivi forma Lucr. III 916: *aliae rei*; Gell. N.A. II 28: *aliae rei causa.*

13, 32: *vitale* — Hottingerus coniecit *hostile* coll. 12, 28, sed non iure, me iudice. Ignotum quidem est, quid sit vitale fissum, sed id non satis est, cur vocem non genuinam esse putemus.

13, 32: *caput iecoris.* — Cf. Plin. XI 37, 73 § 189: „iecur in dextera parte est: in eo quod caput extorum vocant magnae varietatis. M. Marcello circa mortem . . . defuit in extis: sequenti deinde die geminum repertum est, defuit et in C. Mario cum immolaret Uticae, item Gaio principi Kal. Ian., cum iniret consulatum quo anno interfectus est, Claudio successori eius quo mense interemptus est veneno. divo Augusto Spoleti sacrificanti primo potestatis suae die sex victimarum iocinera replicata intrinsecus ab ima fibra reperta sunt, responsumque duplicaturum intra annum imperium. Caput extorum tristis ostenti caesum quoque est, praeterquam in sollicitudine ac metu; tunc enim peremit curas. Bina iocinera leporibus circa Briletum et Tharnem et in Cherroneso ad Propontidem, mirumque, tralatis alio interit alterum." — Apparet igitur caput iecoris non morbo oriri, sed in sanis animalibus inveniri: non enim ante hostiam immolatam sciebant, quis foret habitus capitis iecoris, atque Augusto immolanti sex hostiae habuerunt caput in ecore, quod casu fieri non potuit. Caput iecoris igitur est pars iecoris superior, gibbera et rotunda.

14, 33: *qui omne quod esset unum esse dixerunt* — Xenophanis esse patet ex Sext. Emp. Hypot. I 225 *ἐδογμάτιζε .... ἓν εἶναι τὸ πᾶν καὶ τὸν θεὸν συμφυῆ τοῖς πᾶσιν.*

14, 33: *dicuntur* — lege: *dicunt.* Praecedit enim *Stoici conligunt* et si passivum tenes, anacoluthon est, cf. *inflatas rumpi vesiculas.*

16, 37: *interitus atque obitus* — Davisius coniecit *interitum atque ortum*, quod m.i. praestat lectioni quam C. F. W. Müllerus in textum recepit



*ortus atque obitus*, quia Davisii coniectura magis cum tradita lectione convenit. Cicero ordine usus est quem vulgo chiasmum vocamus: *interitum . . . ortum . . . oriatur . . . occidat.*

18, 42: *in nostris commentariis* — *nostris*, quia Cic. augur fuit (cf. I 76, 29); *commentariis* sive libris auguralibus (cf. I 33, 72).

20, 46: *contra facta tua et contra scripta defendere* — quod Marcus ipse augur fuit et in carmine, quod inscribitur „de consulatu meo" prodigia notavit.

21, 47: *quid habent observatum ac vetustum* — i. e. quid habent longa observatione notatum.

22, 49: *ostenta restant* sed 24, 53 denuo *nunc ad ostenta veniamus* legimus, cum interposita sit fabula de Tagete, haruspicinae Etruscae auctore. Cicero enim, fontem Graecum secutus, hic illic pauca de inventione singulorum divinationis generum disserit (cf. § 80; vide supra p. 36 sq.), quare hanc fabulam a Caecina sumptam (vide p. 3 et 21) hoc loco putavit inculcari posse inter ea quae Clitomacho deberet.

26, 55: *anceps oratio* — Sana est lectio tradita, neque cum Hottingero *ratio* coniciendum, quia *anceps oratio* est *ambiguitas* atque id ipsum requiritur.

26, 57: *favent faucibus russis cantu plausuque premunt alas* — Enn. fr. XXII Ribbeck, ubi v. d. annotat „Pertinere conieci ad anapaestos qui Iphigeniae initio canebantur, facta ad exemplar Euripideorum vs. 9 *οὔκουν φθόγγος γ' οὔτε ὀρνίθων οὔτε θαλάσσης* et vs. 156 *ἴθι λευκαίνει.*" Mirum est Ribbeckium non verba quoque ea quae apud Ciceronem paulo ante leguntur *silentio noctis* ad fragmentum Ennianum addidisse, praesertim cum ex sententia Baiteri et C. F. W. Mülleri (in editionibus) haec sint Enni verba; sed isdem omissis Vahlenius (Enn. poes. rel. p. 156) unam addit vocem legitque: *favent faucibus russis M i s s i s cantu plausuque premunt Alas.*

28, 62: Hoc discrimen inter o s t e n t u m, m o n s t r u m, p r o d i g i u m, p o r t e n t u m statuit Pseudo-Fronto apud Keilium Gramm. Lat. VII p. 520 ut o s t e n t u m sit, quod praeter consuetudinem offertur, ut puta si videatur terra ardere vel coelum vel mare; p o r t e n t u m, quod porro et diutius manet futurumque postmodum aliquid significat; *monstrum* est contra naturam, ut est minotaurus; p r o d i-

gium quod mores faciunt, per quod detrimentum expectatur." Festus p. 138: ,,Monstrum, ut Aelius Stilo interpretatur, a monendo dictum est velut monestrum. Item Sinnius Capito, quod monstret futurum, et moneat voluntatem deorum, quod etiam prodigium, velut praedictum et quasi praedictum, quod praedicat eadem, et portentum, quod portendat et significet indici. Apparet id quartum, quod mihi visum est adiciendum, praesertim cum ex eadem signifi-crtione pendeat, et in promptu sit omnibus, id est ostentum: quod item ab ostendendo dictum est apud auctores." — p. 140 monstrum dictum velut monestrum, quod moneat aliquid futurum; prodigium velut predicium, quod praedicat; portentum quod portendat; ostentum quod ostendat. — p. 157 Monstra dicuntur naturae modum egredientia, ut serpens cum pedibus, avis cum quattuor alis, homo cum duobus capitibus, iecur cum distabit in coquendo. — Nonius p. 430 M.: Monstra et ostenta similiter intelliguntur, quod imminentia monstrent et ostendant. Omen vero votum est mentis et vocis; unde sacrificantibus dicitur: ,,Bona omina habete" id est, ut circumstantes et mente recta velint, et bona ovibus proferant: Portentum non solum quod portendat, sed quod etiam apportet, et faciat ex his significationibus quae in auspiciis, auguriis, extispiciis ostenduntur. Prodigium autem pessimum est, dictum quasi porro adigendum. Vergilius [Aeneidos] lib. III [v. 365]:

Sola novum dictuque nefas harpyia Celaeno
Prodigium canit et tristes denuntiat iras.

Dig. 50, 16, 38 Ulpianus libro vicensimo quinto ad edictum: Ostentum Labeo definit omne contra naturam cuiusque rei genitum factumque. Duo genera autem sunt ostentorum: unum quotiens quid contra naturam nascitur tribus manibus forte aut pedibus aut qua alia parte corporis, quae naturae contraria est: alterum, cum quid prodigiosum videtur quae Graeci φαντάσματα vocant. Cf. Döderl. Syn. 5. p. 74. Hartung, Relig. der Römer 1, 97 sqq.

30, 63: *loquitur Agamemnon* — Errat Cicero nam apud Homerum Iliad. II 299 sqq. non Agamemnon sed Ulixes loquitur.

30, 64: *tot ... exanclabimus annos* — Nonius p. 292 M.: ,,Exanclare significat exhaurire: Plautus in Sticho" [272] ,,Nae iste edepol vinum poculo pauxillulo — Saepe exanclavit submerum scitissime Cf. Enn. tr. vs. 134 Nisi patrem materno sanguine exanclando ulciscerem. — Nonius ibid.: Exanclari, perfici. Pacuvius Periboea (290) ,,Non potest, Melanippe, hic sine tua opera exanclari labos." Exanclare



etiam significat perpeti. Ennius Andromacha Aechmaloto (90) ,,Quantis cum aerumnis illum exanclavi diem." Accius Diomede (270): ,,fere exanclavimus tyranni saevum ingenium atque execrabile." Idem Amphitruone (97): ,,pertolerarem vitam cladesque exanclarem impetibilis." Lucilius lib. XXX (8): ,,quantas quoque modo aerumnas quantosque labores exanclaris." Exanclare, effundere. Ennius Eumenidibus (134): ,,nisi patrem materno sanguine exanclando ulciscerem." p. 107 M.: Exanclare est perpeti vel superare. Cicero Academicorum libro IIII [Edd. II § 108] ,,Credoque Clitomacho ita scribenti, ut Herculi quendam laborem exanclatum." Et Tusculanarum l. I [§ 118] ,,Quod, cum exanclavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum. Adde Hor. I 2, 78 ,,haurimus laborem" eodem pacto quo Pacuvius l.l. ,,non potest exanclari labos" dixit. Quintil. I 6, 40 ,,iam oblitteratis repetita temporibus, qualia sunt *topper* et *antegerio* et *exanclare* et *prosapia*." Cf. Walde, Lat. Etym. Wörterb., s.v. anclo, -are ,,schöpfen: aus gr. ἀντλεῖν; bei Plautus noch exantlare, nicht exanclare."

31, 66: *ad focum nundinari solent* — Hottingerus ,,nundinari proprie dicebantur," inquit, ,,rustici nono die, intermisso rure, Romam venientes". Nundinari igitur apud Cic. pro verbo versandi usurpatum est.

32, 69: Post *Veios* Lambinus primus asterisco notavit aliquid deesse ante *ita*, quia verba praecedentia *illa praedicta* carere viderentur verbo, quocum apte cohaererent. *Nam* hoc loco ,,in praeteritione" usurpatum est, ut aliquid omissum sit quod magni sit momenti, vel, in ,,occupatione", ut refutatio quasi anticipetur; vid. Kühnerum Gramm. II p. 719 sq.. Christius, quem Thoresenius sequitur, lacunam explet: *Veios: omni ex parte rata exstiterunt? num minus Roma a Gallis capta est? ita aqua* cet.

34, 72: *tripudium solistimum.* Festus s. v. puls: ,,Puls potissimum dabatur pullis in auspiciis, quia ex ea necesse erat aliquid decidere, quod tripudium faceret, id est terripavium. Pavire enim ferire est. Bonum enim augurium esse putabant, si pulli, per quos auspicabantur, comedissent, praesertim si eis edentibus aliquid ab ore decidisset. Sin autem omnino non edissent, arbitrabantur periculum inminere". Cf. Serv. ad Ecl. VIII 29: ,,dicitur etiam ideo a novo marito nuces spargi debere, quod proiectae in terram tripudium solistimum faciant, quod auspicium ad rem ordiendam optimum est." Walde tripudium (= ,,Dreischritt"; tripudio, -are ,,im Dreischritt stampfen", tri-

podatio „der dreischrittige Tanz der Arvalbrüder", tripodum „der Trab des Pferdes", tripodo, -āre „im Trabe gehn") originem ducere a voce pes (cf. repudiare) putat, *solistimum* autem superlativum esse adiectivi solus (= totus) censet. Itaque proprie tripudium saltatum sollemnem Saliorum designat (Liv. I 20, 4; CIL VI 2104 a 31), deinde transfertur ad motum granorum vel nucum, in terram cadentium et inde exsilientium.

36, 77: *nec amnes transeunt* — cf. de nat. deor. II 3, 9: *nulla perennia servantur.*

36, 77: *ex acuminibus* — cf. Dion. Hal. V (E) 46: *ἐκ τούτων δὴ τῶν ὑσσῶν* (= pilorum) *περὶ τοῖς ἄκροις τῶν ὀβελίσκων φλόγες ἀνήπτοντο καὶ δι' ὅλου τοῦ στρατοπέδου τὸ σέλας ἦν, ὥσπερ ἀπὸ λαμπάδων, καὶ κάτεσχε τῆς νυκτὸς ἐπὶ πολύ. ἐκ τούτου κατέλαβον τοῦ φάσματος, ὥσπερ οἱ τερατοσκόποι ἀπέφαινον, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις συμβαλεῖν οὐ χαλεπὸν ἦν, ὅτι νίκην αὐτοῖς ταχεῖαν καὶ λαμπρὰν σημαίνει τὸ δαιμόνιον.* Lydus de Ost. c. 5: *ὁμοίως ἔστιν ἑτέρους ἀστέρας εὑρεῖν ποτὲ μὲν ἐν γῇ, ποτὲ δὲ ἐν θαλάττῃ τὰς ἰδίας ἐνεργείας δεικνύντας. Ἐπί τε γὰρ στρατιωτικῶν ἀκοντίων πολλάκις ὤφθησαν ἐφιζάνοντες ἐπὶ τε τῶν ἱστίων τῶν νεῶν κ.τ.λ.* Tota res ad ea quae hodie electrica phaenomena vocantur pertinet.

36, 77: *iuge(s) auspicium* — *iuges* B, *iuge* A, *iyges* V, *iuge* ed. Tur. Sunt qui *iuge* legant, sunt qui *iuges*. Festus p. 104: „Iuge auspicium est cum iunctum iumentum stercus facit." Serv. ad Aen. III 537: „iuge auguribus dicitur augurium quod ex iunctis iumentis fiat. Observant enim ne prodituro magistratui disiunctis bobus plaustrum obviam veniat." Dacerius in Servi loco coniecit „*nisi* disiunctis", ne Servi verba cum Ciceronis minus convenirent. Walde s. v. censet iugis, — e „zusammengefügt, zusammengespannt; zusammenfügend, verbindend" verbo iungendi cognatum esse. Qui *iuges* legunt, putant nimirum illud esse nominativum (iuges ut teres).

37, 79: *Troemorum tetrarchiam* — Steph. Byz. *Τρόκμοι ἔθνος Γαλατικόν. ἐκαλοῦντο δὲ καὶ Τροκμηνοί.* De tetrarchia, quarta parte principatus, vid. Cic. Deiot. 15: „Negat umquam se a te in Deiotari tetrarchia pedem discessisse." Hirt. b. Al. 78: „Mithridati Pergameno tetrarchiam Gallograecorum iure gentis et cognatione adiudicavit occupatam et possessam paucis ante annis a Deiotaro."

39, 82: *tum tonuit laevum bene tempestate serena* — Ennium (fr. LVII Vahl. ex Annalium libro incerto) imitatus est Vergil. Aen. IX 630: „de parte serena intonuit laevum."



39, 82: *Homericus Aiax* — apud Homerum non Aiax, sed Ulixes in Iliad. IX 236 loquitur: *Ζεὺς δέ σφι Κρονίδης ἐνδέξια σήματα φαίνων Ἀστράπτει.*

39, 82: *ita nobis sinistra videntur, Graiis et barbaris dextra meliora.* — Huius discriminis causa erat diversus auspicantium situs. Nimirum Graecis, septentrionem spectantibus, dextra fulmina erant, quae ab oriente venirent; eademque Romanis sinistra, spectantibus meridiem, a laeva orientem, a dextra occasum habentibus. cf. Homer. Iliad. XII 239: *εἴ τ' ἐπὶ δεξί' ἴωσι πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε,* 240 *εἴ τ' ἐπ' ἀριστερὰ τοί γε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.* Festus i. v. sinistrae aves.

*quamquam haud ignoro .... videbatur* — Cicero vult: primum sinistra bona dici, deinde omnia bona sinistra etiam si a dextra parte veniat augurium. Scilicet explicatio *sed certe* .. cett. admodum in dubio est num vera sit.

40, 84: *cauneas* — Venditor Caricarum clamabat „cauneas" quod intellegi poterat cau n' eas i. e. cave ne eas. Similiter apud Iuv. X 120 in optimo codice Pithoeano causis = cave sis, cf. Lindsay, the Latin language p. 49 § 50.

41, 85: *micare* — Cic. de off. III 19, 77: *cum enim fidem alicuius bonitatemque laudant, dignum esse dicunt quicum in tenebris mices.* Cf. Petron. Satur. c. 44. — *Micare* est invicem crebro digitos porrigere, ut certantium uterque numerum eorum divinet.

41, 86: *Fortuna Praenestina* — cf. Wissowa, Relig. et Cult. Rom. p. 209. Fortuna Praenestina sive Fortuna Iovis puer primigenia (puer = filia) filia Iovis erat et a matribus invocata esse videtur. Quoniam Fortuna ibi cum duobus infantibus lactentibus ficta erat, et fortasse prava illorum verborum (*Fortuna Iovis puer primigenia*) inducti interpretatione infantes Iovem et Iunonem esse arbitrabantur.

42, 89: *ea triangula illi et quadrata nominant.* — Meyerus, vir doctus, haec non plane accurate exposita esse monet: Cum enim planetae in uno zodiaci signo, quo quis natus est, vel de quo qualiscumque ratio est ineunda, conveniunt, appellatur haec coniunctio *σύνοδος* (Zusammenkunft); cum dimidio inter se distant circulo ideoque sibi invicem opponuntur, oppositio dicitur (Gegenschein); cum tertia circuli parte a se invicem distant, vel quattuor signis interpositio, radius appellatur quadrangularis *τετράγωνος* (Geviertschein); sexta denique circuli parte, vel duobus signis interiectis, sextilis dicitur sive *ἑξάγωνος* (Sechstelschein).

42, 89: *etenim cum †tempore anni tempestatumque caeli conversiones commutationesque tantae fiant accessu stellarum et recessu* codd.; — *tempore anni tempestatum atque caeli* Madv. et Kays., *temporum anni tempestatumque caeli* Hott. Lectio tradita sensu caret. Hottingeri coniectura mihi placet, quia locum sanat non multis mutatis; *conversiones* enim *temporum anni* fere idem est ac conversio tempestatum, quae aliae sunt alio tempore anni; et quia illud de omnibus anni temporibus valet, non recipere velim Madvigii et Kayseri coniecturam qui singularem legunt: *tempore anni.*

44, 92: *orbes .... ὁρίζοντες .... finientes* — cf. Sex. Emp. adv. Mathem. V 83: *καὶ ὅτι ταῦθ᾽ οὕτως ἔχει, πρόδηλον ἐκ τοῦ καὶ τοὺς ἀπλανεῖς ἀστέρας, καθάπερ Ἄρκτουρον καὶ Κύνα, μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον τοῖς ἐν παντὶ κλίματι κατοικοῦσι φαίνεσθαι ἀλλ᾽ ἄλλοις κατ᾽ ἄλλον.*

44: 93: *apud Troglodytas, ut scribitur* — cf. Herod. IV 183; Strabo XVII, 1, p. 819.

46: 97: *in periclitandis experiundisque pueris* — i. e. stellarum positionem in tempore nascendi cum posteris casibus et animi indole comparando.

47, 98: *in iugo .... luna* — iugum est libra, cf. Solin. c. 1: „Romulus fundamenta murorum iecit Iove in piscibus, Luna in libra constitutis".

50, 104: *ego ... genus* — Ennius fr. Sc. ex Melanippa IV vs. 316 Vahl.; cf. Cic. de nat. d. III 32, 79; de div. I 58, 132.

53, 108: *adsumptio* — i. q. propositio minor vulgo dicitur.

54, 110: *quorum interpres* — cf. Suet. Caes. 79: „Quin etiam varia fama percebruit, — proximo senatu L. Cottam quindecim virum sententiam dicturum: ut, quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos, nisi a r e g e non posse vinci, Caesar rex appellaretur."

54, 111, *Q. Ennius fecit* — Enn. fr. inc. 53 Vahl.

54, 112: *ex primi versus litteris* AB, *ex primis versus litteris* V, *ex primis versuum litteris* Davis., *ex primis cuiusque versus litteris* Christ., *ex primis primi cuiusque versus litteris* Müller. — Davisii coniectura cum verborum contextu convenit et minus a tradita lectione discrepat quam Christii et Mülleri coniecturae, quibus ideo praeferenda est.



55, 112: *iamque mari magno .... eheu videte* — fr. VI Alexandri apud Ribb. Eosdem versus pluresque ex eodem loco Alexandri tragoediae Cicero laudat I § 67 *iamque mari magno classis cita | texitur; exitium examen rapit: | adveniet, fera velivolantibus | navibus conplebit manus litora* et § 114 *eheu videte! | iudicabit inclitum iudicium inter deas tris aliquis | quo iudicio Lacedaemonia mulier, furiarum una, adveniet.*

55, 113: *Apollinis opertis* — vide ad I § 115.

56, 115: *Croesus .... vim* — cf. Suid. s. v. *Λοξίας* ubi: *Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει.*

56, 115: *venio (o) Sancte Apollo — venio — O*, ABVH. Ribb. fr. VII, vs. 18, ex incerta incerti fabula. Varro de l. l. VI p. 68 „Io bucco! Quis me iubilat? Vicinus tuus antiquus." (Lucianus Muellerus: „antiquus tuus," ut tetrameter trochaicus exsistat.) Si I o! extra metrum leges, habebis idem quod apud Ciceronem, si o extra metrum ponetur. Sed hoc loco *o* ex dittographia ortum quantocius delendum est, ut graviore sono trochaei canori initium versus faciant:

*Sáncte Apollo, qui úmbilicum* cet.

56, 116: *Apollo versus facere desierat* — cf. Lucan. Pharsal. V 111 sqq.

Non ulla saecula dono
Nostra carent maiore deum, quam Delphica sedes
Quod siluit, postquam reges [1]) timuere futura
Et superos vetuere loqui.

57, 118: *φιλιππίζειν* apud Demosth. non obvium, sed apud Aeschin. Ctes. p. 520 f. et Plut. Dem. c. 20, Min. Fel. c. 26.

57: 118: *quidvis malle videntur esse quam se non ineptos* — i. e. videntur malle se quidvis aliud esse quam se non ineptos esse. Cicero philosophos superstitiosos non nisi consulto tam tenaces rei absurdissimae esse posse dicit.

58, 119: *nihil tam absurde dici potest quod non dicatur ab aliquo philosophorum.* — Iam Varro Sat. Men., Eum. vs. 122 (Bücheler): „postremo nemo aegrotus quicquam somniat tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus". Ciceronem et Varronem Graecum trimetrum reddidisse veri simile est.

---

1) „Nero inquit Scholiastes Voss. sed iam Plutarchus quaerit cur desinant oracula, in libello de defectu Oraculorum." — Franckenius in ed. ad h. l.

59, 121: *videantur . . . quis* est — Christius lacunae signum post *videantur* addidit, quem secuti sunt Kayser et C. F. W. Müllerus. Idem lacunam explet: *quid igitur mirum est si quae somniantibus vera videantur?*

59, 123: *medicinam dabit Minerva* — *Ἀθηνᾶ Ὑγίεια* colebatur in Attica, cf. Preller. Gr. Myth. I p. 173.

61, 127: ,,*aliquot . . . . necessest*'' — Enn. fr. sc. ex fab. inc. XLIV vs. 429 Vahl., ubi ,,*somnia aliquot* vera *sunt*, sed non necesse est *omnia*'' legimus. Perhibet enim v. d. Ciceronem non scripisse ,,noenum'' (ex Ennio videlicet), quod natum sit ex correctura in cod. B non nunc (linea perducta) necesse est, cum Voss. A et Vindob. nonnunc haec ẽet praebent. Sed noenum facilius in nonnunc abire potuisse credo, quam nonnunc in noenum, quae librariis ignota vox est. Sed Vahlenius addit cautissime: ,,de versus (?) forma quam posui nihil affirmo.'' Baehr. fr. 500 (Epicharmi) vs. quadratum restituit: áliquot somnia véra sunt, noenúm necesse est ómnia.

62, 128: *qua numquam animus insistens agitatione et motu esse vacuus potest* —. Ernestus *numquam* et *esse vacuus* mente coniunxit, ita ut *insistens* sit ,,incumbens, nixus''. Hottingerus *numquam* ad *insistens* (= quiescens, desinens alqd. agere) pertinere ratus, ante *potest* inseruit non. Kayserus ita locum accepit: ,,naturam autem eam dico qua animus numquam esse potest insistens i. e. sine motu, ita ut *agitatione et motu vacuus* explicarent vocem *insistens*; quod mihi valde placet, quia sic nulla opus est coniectura.

63, 130: *Chrysippus quidem divinationem definit.* — cf. Stob. Eclog. eth. II p. 170 et p. 183 *μαντικὸν μόνον εἶναι τὸν σπουδαῖον, ὡς ἂν ἐπιστήμην ἔχοντα διαγνωστικὴν σημείων τῶν ἀπὸ θεῶν ἢ δαιμόνων πρὸς ἀνθρώπινον βίον τεινόντων, διὸ καὶ τὰ εἴδη τῆς μαντικῆς εἶναι περὶ αὐτὸν, τότε ὀνειροκριτικὸν καὶ τὸ οἰωνοσκοπικὸν καὶ εἴ τινα ἄλλα τούτοις ἐστὶ παραπλήσιον.*

63, 130: cf. Stob. Ecl. eth. II p. 170 *εἶναι τὴν μαντικήν φασιν ἐπιστήμην θεωρηματικὴν σημείων τῶν ἀπὸ θεῶν ἢ δαιμόνων πρὸς ἀνθρώπινον βίον συντεινόντων.*

64, 132: *Euphorion* vixit fere 200 a. C.n., eiusque carmina Latine expressit Corn. Gallus, amicus Vergilii, qui in Ecl. VI 64 Gallum in medio Musarum choro canentem facit de Gryneo, urbe Aeolidis, ubi templum



pulcherrimum et oraculum Apollinis erat (Paus. I 21, 7; Strabo 13, 3, 618), et X 50 Gallum inducit dicentem:

ibo et Chalcidico quae sunt mihi condita versu
carmina pastoris Siculi modulabor avena.

Chalcide enim natus erat Euphorion. Cf. Serv. ad h. l.; Cic. Tusc. III 19 § 45: ,,*cantores Euphorionis*''.

64, 133: *Attici* — cum Bothio corrigendum videtur *attice* i. e. scite, bene; subiectum verbi *respondent* erit ,,Thebani''. Non enim *attice* est *ἀττικιστί* sed *ἀττικῶς*.

68, 141: *concurrerent* — i.q. simul acciderent, convenirent. cf. Cic. Planc. 32: *saepe concurrit ut eodem tempore in omnes verear ne possim gratus videri;* de fin. V 10: *res contrariae concurrunt;* de off. I 14 § 45: *quae ut concurrant omnia optabile est: sin minus* cet.; Ter. Andr. 511: *multa concurrunt simul, quî coniecturam hanc nunc facio.*

70, 145: *coniectoris . . . . eludentis ingenio* — i. e. coniectoris qui ingenii acumine homines eludit. cf. paulo post: *acumen hominum.*

72, 149: *eiciendae* ABHV cum ed. Turicensi, *elidendae* Manut., *eligendae* Grut. Madvig. Kays. C. F. W. Müllerus. Cf. Tusc. III § 84: *hae sunt illae fibrae stirpium, quas initio dixi, persequendae et omnes vel eligendae, ne umquam ulla possit existere;* § 83: (stirpes) *quae ipso trunco everso omnes eligendae sunt.* In iis quae ex Tusculanis laudavi codices summo consensu *eligendae* exhibent. Cum autem hic locus similis illis sit, cum viris doctis *eligendae* hic quoque legendum est, etsi *eiciendae* non prorsus sensu est cassum.

# THESES.

# THESES.

I.

Imprimis Posidonii περὶ θεῶν libris Cicero usus est librum primum de divinatione scribens.

II.

Iniuria Soroffius ad Cic. Tusc. I 32 § 79 Panaetii de animorum immortalitate sententiam eandem esse perhibet ac ceterorum Stoicorum, ita disserens: „die Partikel *igitur* beweist vielmehr dass er (Panaetius) als Repräsentant der Stoiker überhaupt genannt wird."

III.

Hor. Od. I 21, 11 *insignemque pharetra*
*fraternaque humerum lyra.*

*Fraternaque* non ad Mercurium pertinet, ut Orellius aliique putant.

IV.

Hor. Od. II 7, 11 *minaces.*

*Turpe solum tetigere mento.*

Non est cur potius cum Peerlkampio arbitremur haec pertinere ad milites se ad genua victorum prosternentes quam ad milites, qui in pugna ceciderunt.

V.

Hor. Epist. I 10, 37

*Sed postquam victor violens discessit ab hoste.*

Lege: *violenti cessit.*

VI.

Propert. III 21, 25 et 26 Lachmannus non iure delevit.

VII.

Cir. Verr. V § 58 *quod alio loco antea dixi.* Expungendum est adverbium *antea.*

VIII.

Ovid. ev Ponto I 5, 22

*frondes Alpibus addat Atho?*

Pro *frondes* legendum esse censeo *fontes.*



IX.

Iuv. X 294 pro substantivo *gibbum* legendum est adiectivum *gibbam* (sc. faciem).

X.

Apud Augustinum Confess. II c. 4 (p. 29 ed. Knöll) vulgata lectio *nec penuria sed fastidio* praestat lectioni quam Knöll recepit *nisi penuria et fastidio.*

XI.

Plato Apol. c. I p. 17 A Hartmannus iure delevit τῶν πολλῶν ὧν ἐψεύσαντο.

XII.

Non est cur cum Hirschigio apud Platonem Apol. c. II p. 18 C deleamus ἀπολογουμένου οὐδενός.

XIII.

Dubium est num verba καὶ ἀπολογητέον in fine Apologiae c. II in suspicionem sint vocanda.

XIV.

Etiamsi in Apol. c. XII p. 23 E cum Cobeto οὑτοιί legimus pro οὗτοι, tamen non delendum esse videtur οἱ δικασταί.

XV.

Plat. Apol. c. XXIX p. 38 C non cum Herwerdeno inserendum est *ἐμήν*.

XVI.

Plat. Crit. c. V p. 46 A *ἀδύνατον καὶ οὐκέτι οἷόν τε.* Sana est lectio tradita.

XVII.

Iniuria Herw. vitium latere suspicatur in Plat. Phaedo c. LXVI p. 118 A *ταῦτ᾽ ἐρομένου αὐτοῦ* cet.

XVIII.

Xenoph. Anab. I 8, 10 *εἶχον δὲ τὰ δρέπανα ἐκ τῶν ἀξόνων εἰς πλάγιον ἀποτεταμένα καὶ ὑπὸ τοῖς δίφροις εἰς γῆν βλέποντα ὡς διακόπτειν ὅτῳ ἐντυγχάνοιεν. ἡ δὲ γνώμη ἦν ὡς εἰς τὰς τάξεις τῶν Ἑλλήνων ἐλώντων καὶ διακοψόντων.* Vix genuina sunt verba *ἡ δὲ γνώμη* cet.

XIX.

Iure Herw. Lys. or. 12 § 18 delevit verba *εἰς τὴν ἐκείνου ταφήν.*

XX.

Cum Herw. (anal. crit. p. 14) et Blaydesio apud Soph. Antigone vs. 439 emendandum est *Ἀλλὰ πάντα τἆλλ᾽ ἥσσω λαβεῖν.*



XXI.

Nepotem in Miltiadis vita Ephorum habuisse fontem verisimile est.

XXII.

Inter Agathoclis Cyziceni fragmenta non numerandum est Cic. de div. I c. 24 (Müller F. H. G. IV p. 290).

---

